PAPA CONFVTATVS.

SANCTÆ & APOSTOLICÆ ECCLESIAE IN CONFVTATIONEM PAPÆ.

Actio Prima.



LONDINI,
In ædibus Thomæ Dawson,
impensis Richardi Sergier.
1580.

PAPA CONFVTATVS.

SANCTÆ & APO-STOLICÆ EC-CLESIAE IN CON-FVTATIONEM PAPÆ.

Actio Prima.



LONDINI,
In ædibus Thomæ Dawson,
impensis Richardi Sergier.
1580.

Beneuolo Lectori.



Vòd sine adscripto Autoris nomine prodit hic libellus petit in eo sibi ignosci (lector ingenue) scripti opifex, quisquis is sit, siue Germanus, siue Gallus, siue Anglus. Maluit quidem ille ecclesiam ipsam sanctam & Apostolicam sua ipsius persona, nomine, ac verbis loquentem inducere: quo maiori grauitate & imperio causam ipsa suam, quæ publica, non priuata esset, cum pontifice delitigaret. Vt enim non omnibus eandem personam imposuit Deus: neque omnibus conuenit eadem dicendi figura, ita in communi gentium omnium offensione, publicaque cunctorum querela, priuatis tribuere sermonem, minus conueniebat, tum nec modus ipse sermonis priuato actori rectè congrueret. Aliter loquitur Cicero in suo consulatu, aliter quum priuatus in foro versaretur. Certè in ea nunc incidimus tempora, rebus sic vndique exulceratis, atque in eum vsque paroxismum exasperatis, vt nihil efficiat priuata cuiusquam opera, nihil preces, nihil vota, nec monita quicquam proficiant. Nō enim tam parui sese æstimat Romana sublimitas, vt admoneri se, aut castigari à quoquā sustineat. Maiores opes, sublimiores personas postulat hoc cacoëthes: siue Christus ipse dominus è cœlis spiritu oris sui dignabitur hoc mōstri cōficere: siue in terris principum præpotentiū maiestas, communicatis pariter consilijs, publicam hîc autoritatem suam interponere, manusque medendis malis admoliri non

grauabitur. Quamobrem si quid hic tibi (amice lector) incitatiore forsan sermonis genere dictum videbitur, sic cogita, non vnum aliquod ecclesiæ membrum: sed ecclesiam ipsam vniuersam, vel Petrum, aut Paulum, vel chorum vniuersum Apostolorum, iunctis simul sententiis Apostolica autoritate, hæc habuisse. Qui vt olim permaximo suo studio propagârunt ecclesias Christi: ita ijdem si nunc adessent, cernerentque, quo prolapsi sint mores, & institutio ecclesiæ, haud dubitandum, quin multo grandiore orationis impetu, in hunc Christi aduersarium detonarent. Christus Dominus tibi benedicat, Christiane Lector. Amen.

Vniuersalis Ecclesiæ contra Romanum Pontificem, Actio prima.



Vousq; tandem abutêre patientia nostra, Romane Pontifex? quamdiù furor tuus, quamdiù fucata nos eludet hypocrisis? Quæ tanta hæc te exagitat intẽperies? Quid vult, quid agit, quo ruit rabies effrenata? Quem superbiæ modum, aut finem statues tyrãnidi? Adeonè cum pudore omni, sensus omnes humanæ rationis, atq; oculos amisisse te, vt cum tot tantisq; flagitiis & parricidiis infandis, iuxta ac infinitis & cœlum & terrã in te concitâris, totq; tam manifesta ruinæ tuæ argumenta, quasi præludia, quotidie conspicias, nihil hæc omnia permoueant animum? nihil te à furore cohibeant? Quid, nihil te tanta hęc Euangelii lux, nihil veritatis, tanquam solis splendor, nescio quid dirum regno tuo minitãs, nihil solii tui obtenebrata debilitataq; magna ex parte sedes? Nihilnè tot martyrum sanguis, tot Doctorum scripta, nihil populi clamor, tacitaq;

Querela, siue expostulatio vniuersalis Ecclesia cum pontifice Romano.

bonorum iudicia; nec tacita solùm iudicia, sed apertæ etiam voces, quibus te pro Antichristo omnes habent, horrent, & execrantur? non ora, vultusq; hominum, saltem non conscientiæ tuæ stimulus, aut pudoris sensus vllus? nihil nè iunctissimis fœderum nexibus communitæ inter se ciuitates quas vides? nihil gentium vota, arma principum, fatali quodã contra te odio exacerbata, iamq; tota pene acie intenta in caput tuum, vis gentium, ac nationum maximarũ non inimicitiæ modo, sed manus etiam, quas vix à pernicie tua cohibent, horum, inquam, nihil te permouet? Atquî hæc verò quæ commemoraui hactenus, quoniam humana sunt, si te, qui supra hominẽ nescio quid crepit. re videris, parũ afficiant, quid an diuinũ saltẽ iudicium, inflammata contra te summi numinis iracundia perhorrẽdæ minæ, imminensq; capiti tuo de cœlo exitiũ, clarissima scripturæ propheticæ oracula? quid belluæ illius Apocalypticæ excidium quũ legis, quum meretricis Babylonicæ molarem vides dimersionem? Quid quum in oculos, in aures influit tibi, propheticas intuenti tabulas, tartareus ille & sulphureus gehennæ caminus in fumos sempiternos exæstuans, annè hæc te omnia quicquã percellunt, neq; ad te pertinere quicquã arbitrare, quin pergis, furis, insanis adhuc ceu rex tragicus, nec se reprimit bestia hæc Apocalyptica?

Bellua Apocalyptica. *Apoca. 13. 14.*

Iam vt cesset lenta illa patientissimi numinis vindicta: an nos principes & populi Christiani, quos

quos tamdiu venenato fornicationis poculo hęc dementauit meretricula, os ita nobis oblinire, eiusq; nos circumduci præstigiis, tam indignis modis dilacerari respublicas Christianas Christiani videntes, scientes perpetuò perferemus? Si Lucii Tarquinii superbiã petulantius paulo ferocientem minimè ferẽdam Romana quondam putauit nobilitas in rege & suo atq; etiam legitimo: Nos quomodo reges a deo principesq; constituti Romanum hunc fastum plusquam regiũ, & ter Tarquinianũ, non in rege, sed in Episcopo adeò se non supra Tarquinium modo, sed supra omnem humanam celsitudinem, imò supra omne quod Deus dicitur, & numen efferentem sese, vel sine iusta animi indignatione spectare, vel sustinere sine publica totius ecclesiæ iniuria posse aut debere existimamus? Quę enim hominis insolentia post natos homines maior audita? aut quæ vnquam iniuria ecclesiæ dei grauior, aut pestis comparari possit funestior, quàm in æquabili hac, pariq; Episcoporum inter se coniũctione vnum se attollere aliquem, qui accepta sibi vniuersali τῇ δικτατορίᾳ ita cæteris suis cõseruis emineat, vt in verba eius omnes iurẽt Episcopi & concilia; vt autoritati omnis humana cedat creatura, imperio fasces submittant principes, imperatores etiam ceruices flectant necessariò. Quæ res, quum per se absurda, & infanda, adeò ab omni ratione & natura pastoralis ministerii abhorreat, vt nihil vel audiri turpius, vel ferri a nobis perniciosius possit, quid nostri nunc officii

Fastus tragicus Romani Pontificis.

 ratio

ratio postulet, quid tempora efflagitent, quid communis ecclesiæ suadeat necessitas in prõptu cuiuis sit estimandi copia.

Cicero cõtra Catilinam.

Certè si Luc. Catilinam ciuem nefarium, suæ tantum patriæ, vni videlicet ciuitati pestem & scelus molientem, vnus Romanus consul, pro suo in Rempublicam officio, minimè perferendum iudicauit, consilio insidias anteuertit, autoritate audaciam perfrigit, armis vim repressit: nobis quos numinis summi Maiestas doctores sui gregis & religionis custodes posuit, in tanta hac non vnius vrbis, sed orbis calamitate, & religionis ruina publica, quid magis ex officio atq; ex vsu fuerit rei Christianæ, quàm vt excetram hanc Babylonicam flammis armisque grassantem, cæde & incendio permiscentẽ omnia, sicq; in piorum exultantem sanguine, ipsis porrò principibus non imperitantem modo, sed minitantem, atq; in os superbissimè etiam conuitiantem, quem ipsissimum Antichristum esse, & multis, & certissimis docemur scripturæ argumẽtis, summa cum maturitate, si nõ ex omni ecclesiæ consortio, at è nostris tamen finibus lõgissimè propulsemus?

Sed quid hic querar primum, aut clamem satis? ô mores, ô temporum inscitiam, ne dicam an principum incogitantiam: Iamdudum mõstrum hoc, non Lateranũ, sed Lernæũ è medio sublatũ autoritate nostra, atq; in vltimas solitudines, vel ad Canibalas gentes procul à cœtib' nostris exterminari oportuerat, vt qui humanis hic carnibus satiari nequeat, sub carniuora illic feritate

disc

discat mansuescere. Quod si factum à nobis antè fuisset, multa superessent Martyrum iam innocentissimorũ millia. Et tamen tanta hac accepta Christiani sanguinis strage, quantã non in historiis solum recolimus, sed oculis etiã sensibusque quotidie tenem⁹, viuit adhuc, spiratq; non tã sua vita, quàm nostra culpa hic Antichristus. Viuit? imò floret, regnat, triumphat: In palatiis nõ modo nostris adest, sed præest etiam consiliis, mandat, imperat quæ libet: populos deniq; nostros prædæ, nos ipsos habet ludibrio. Quoniamq; vi non possit aperta, clãculariis insidiis rem persequitur, ad cædem vnumquemq; nostrũ oculis designans quemcunq; animo interemptũ cupit: Cupit autẽ quoscunq; Christi gloriæ quã ipsius addictiores intelligit. In quo haud obscura elucẽt certissimi Antichristi vestigia. Nam alioqui quid aliud est quod eum in tantam exasperat immanitatem, nisi quòd lucescente Christi gloria, regno ipse suo metuit. Incensus enim cupiditate dominãdi animus, postquàm ad eum gloriæ fastigiũ semel emerserit, ab inueterata possessione depelli se haud facilè patitur: quoniamq; eam se retinere diutius dominante Euangelio nõ posse intelligit, sine cæde & laniena multorum, eò fit vt quotquot verè Euangelicos perspiciat, totidẽ sibi ducat esse aduersarios, quibus ille contra eundum quibuscunq; possit copiis putat.

Defensio Ecclesiæ Britannicæ aduersus seditiosas bullas Romani pontificis.

Hincq; omnis illa tantarũ tragediarũ tẽpestas, hinc horrẽda tonitrua illa, & dira fulmina sæuissimarũ execrationũ, deridenda tamen magis quã

 cuiquam

cuiquam pertimiscenda: Bullas illi appellant, diplomata nimirum & syngrammata paparia, ad dolos & technas mira simulatione, sub Petri & Pauli autoritate conficta. Hæc enim pontificum sunt ornamenta, quibus illi dolorem animi sui vlcisci solent, si quibus aliquando irascantur. Quoniamq; hisce terriculamentis consueuerūt antehac cæteris Regnis & Monarchis esse formidabiles, hinc Pius Papa quintus non ita pridem, ceu Iupiter Olympius, rubente dextra sacras iaculatus arces, terribili Bulla Britannos miseros incursabat.

Pius quintus furens contra Elizabetham Angliæ Reginam.

In qua Ampulla Elizabetham primum Reginam serenissimam furiosis probris, nec dicendis contumeliis affligere, in inuidiam vocare apud exteros principes, nec eo contentus regno paterno excutere, nec regno solùm, sed vita etiā exturbare, populos in eam domi forisq; inflāmare satagebat.

Gregorius 13. Pontifex incitatus cōtra regnum & Reginam Angliæ.

Nec multo post Pium eodem insequutus exemplo Gregorius 13. ouo prognatus eodē, haud dissimile quiddam pertentabat sedulò, nullū nō mouens lapidem, vt subditos in Reginam incitare, ad seditiones euocare, ac fidem deniq;, quā Dei mandato debent Magistratui, reuellere posset: ratus nimirum huiusmodi se fatuos reperturum, quibus ridicula hæc Architæ crepitacula fidem citiùs, quàm risum commouerent. Interim verò tam insanis illis tumultibus multa moliendo, quàm parū his successerit hactenus quod instituerunt, non hîc disputo. Illud scire ab istis contendo,

contendo, petoq; vt respondeant. Non hic priuatam hominis cuiusquam personam specto, nō Pium, non Gregorium solum attingo, sed vniuersam sedem Romanam hanc, quæ tales nobis fundit pontifices, simul appello, petoq; à reuerendis istis vicariis. Si tanta penes eos facultas foret, qua possent re ipsa tantum istis malefacere, quantum verbis maledicūt, atq; in Bullis istis suis homicidis indicant, in quibus horrēdis clamoribus in regni illius incolas sic perbacchātur, diris deuouent, ad imas Tartarorum portas demergunt, gladiis furiosæ multitudinis obiiciūt, an reuera facerent? an vellent omnino si possent? an tanta vnquam subire posset Christianas mentes in Christianos crudelitas? Si negent, quid sibi igitur volunt plusquam Catilinaria hæc ad cædes coniurata ipsorum intentataq; consilia? Sin affirment, quod reuera dissimulare nequeūt, satis profecto tanquam sorices suo se inditio produnt, cuius sunt spiritus, quid intus sub personato hoc Petro monstri alunt, quodnam animal sub hac τῇ λέοντι occultant.

Expostulatio cum Romanis pontificibus.

Sed pergamus porrò. Age, & si tanta vis odii, si tanta vindictæ cupiditas Apostolica pectora in bonorum inflare perniciem possit tantopere: scire ab his velim, quo tandem ipsorum merito tam immisericorditer in eos sæuiant. Neq; enim leue aliquid sit oportet quicquid sit piaculi, quod sanctissimos istos flamines tantopere in homines Christianos exagitet, qui Christi mansuetudinem, fidem Petri, Pauli spiritum titulo ac fronte

ac fronte adeo iactitant, Sanctissimum ipsum Paulum audimus alicubi magno spiritu efful-minantem arma militiæ nostræ carnalia non esse, sed diuinitus valida ad subuersionem munitionum quibus cogitationes euertimus, omnemque celsitudinem extollentem se aduersus cognitionem Dei debellamus, captiuamq; ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo, &c.

Potestas ecclesiast. quæ sit, & quousq; progreditur.

Primùm hîc arma habetis, non vnius tantùm Pauli, aut Petri, sed nostra (inquit) arma, cum vniuersa videlicet Ecclesia Christi communia: quæ tum demum expedienda sunt, non temere aduersus, quoslibet aut quacunq; de causa, sed vbi fert necessitas, aduersus eos, si qui sint, qui insolentius contra cognitionem Dei, Christiq; obedientiam ceruices erigant. Cuiusmodi si quid in eo imperio videatur quod Christi gratiæ officiat, nihil equidem deprecor Apostolicæ armaturæ iustam animaduersionẽ. Nunc quum Christi gloriæ omnes ex professo studeãt pro viribus, nemo sit qui non potentiæ filii Dei, eiusq; diuinitati subiiciatur, qui nõ spiritu eum colat & veritate, ibique colat, vbi scripturæ eum collocant, qui non beneficia agnoscat, Sacramẽta illius iusta veneratione prosequatur, qui non obedientiam modo cum fide coniunctam, quam debet, profiteatur, sed omnem etiam suam in eo fiduciam figat. Deniq; quum in ecclesiis omnia ab iisdem ita instituuntur, vt nihil hic desideret quisquam quod Christiani sit officii, nihil reci-

Crudelitas Romani sedis nulla causa nec ratione in pios excitata.

piatur,

piatur, quod non sacra Euangelicæ cautionis approbet autoritas: cedô quid hic, Romane pontifex, desiderabis amplius? Quid an satis id tibi nō est, si glorificetur Christus in ecclesia sua, qui solus salutem pręstat ecclesię suæ, nisi pontificia pariter cum illius gloria pari obedientia congrediatur? Et vnde igitur tumultus isti, fulgura & tẽpestates excitatæ? Num quia Christo (vt par est) non obtemperant, an quia non parent pontifici? Si gloria illius, tua sit gloria, vt esse debet, quid hac opus contentione? quin positis igitur istis cristis, in ordinem te reuoces communis obedientiæ? Sin minus id tibi sat sit, vt filius Dei celebretur sine Romæo Episcopo: quin desinis igitur seruus esse Iesu Christi, hæres sancti Petri. Quid enim Petrus, quid Paulꝰ spirabat nisi gloriam Iesu Christi? Siue per occasionem (inquit illè) siue veritatem, modò Christus annuncietur, in hoc & gaudeo & gaudebo. Quid quòd & Christus ipse, quoad in terris ageret, quantum abfuit ab omni gloria, studio & cupiditate, non tam verbis quàm factis testatum voluit. Qui se vltro deiiciens ad crucis opprobrium, quo magis gloriam fugitabat, tanto vberiorem sibi contemnendo comparauit? Non quæro (inquit) gloriam meam, sed est qui quęrat & iudicet, idemq; rursus spretus, aliquando & exclusus ab ingratissima ciuitate, adeò nullam vindictam molitus est, vt iis etiam, qui ad vltionem prouocarent, grauiùs irasceretur. O adorandam diuini pectoris mansuetudinem! Nescitis (inquit) cuius spi-

Philip. 1.

Iohan. 8.

Luc. 9.

ritus estis? non venit filius hominis perdere animas hominum, sed vt seruet.

Conferamus nunc alterum cum altero, vicarium cum suo capite. Non receptus in itinere Dominus quid egit, quid respondit accepistis. Quid autem pontifex si tum ad fuisset cum ea vlciscendi potestate fuisset facturus non hic disquiro, certè quid nunc faciat, vel vna Anglia plus satis esse documento poterit. Quæ quia iam diu Romanã experta tyrannidem, & ad ossa vsq; corrosa, ausa sit tandẽ excusso acerbissimæ seruitutis iugo equum hunc Troianũ è mœnib' pellere seq; in libertatem asserere, hinc illud vlcus, hinc tragici isti furores, hinc vltrices illæ flãmæ, & sulph ureæ in ipsos execrationes, quibus non corpora hominũ, sed & animas etiam perditurus videtur, si posset. Age, & quid habet tandẽ præposterus hic vicarius, cur terræ cælum sic misceat Tyriáq; ista malorum maria sic turbet ab imo? id nunc videamus.

Excluditur ab illis Romanus pontifiex: vt dominus, fateor, vt hospes, non excluditur: at recipitur tamen Christus. Hunc vt dominũ amplectuntur, vocẽ agnoscunt & obtemperant: Tuam verò, pontifex, quia nõ nouerint, si min' admittant, quid est quod tibi doleat? Nempe opinor simul adorari ab ipsis postulas. At quid si nec Christus recipi in Anglia, nisi eiecto pontifice, nec pontifici locus esse apud illos cum ista religione, nisi excluso Christo poterit? Vtri eos cædere, quũ vtriq; pariter seruire nõ licet, par esse putas? Clamitat in deserto laudatissim' ille prophetarum

Christus recipi non potest, nisi exclusio Rom. pontifice.

phetarum plusquam propheta Iohannes illũ o- *Iohn. 3.*
portet crescere, me verò minui. Tuque Christi
gloriã aliter accrescere in suo ipsius templo nisi
tua simul cum illius coniuncta potestate, nõ pa-
tiere? Qui si seruũ te illius & amicum profiteare,
quin igitur domini tui cõmodis ingenuè faueas,
simulq; conseruis tuis communi Domino ap-
plaudentibus congratulere. Cedò, an non æquũ
abs te postulamus? Sin aliter est, vt extra seruorũ
numerũ te non vt ecclesiæ nostræ consortem, sed
vt fidei dominũ admitti postules, iam nõ nos ip-
si te, sed sacræ literæ ex regnis te nostris excuti-
unt. In quib[9] vnus nobis dominus, vna fides ex-
pressissimè designatur. Quemadmodũ apud eun- *Ephes. 4.*
dẽ rursus audimus Apostolũ. Non quòd domi-
namur (inquit) fidei vestræ. Quin & Petrus mi- *2. Cor. 1.*
nimè imperiosus Apostolus dominãtes in clero
nec alios pertulit, nec vnquã ambiebat ipse quod *1. Pet. 5.*
in aliis improbarat. Probè enim meminerat cu-
ius is domini discipulus esset. Eius nimirum, qui
humanarum rerũ semper contemptor maximus
de dignitate & primatu contenderet nunquam,
sed qui per humilitatem seruiret omnibus.

Sed protinùs hîc excipitur ab istorum nõnul- *Sanderus in*
lis. Quid, inquiunt, an non dominos eos nomi- *Hierarchia*
namus, qui tanquam dei ministri, imperio & *Monarchia.*
principatu funguntur in terris? Rectè, sit ergo
suæ quisq; ditionis dominus, cui in hoc ipsum
diuina præfecit vocatio, vt dominetur. Sed
quid hoc ad Petrum? quid ad Apostolos, vi-
rosque Apostolicos, qui in hoc vocati sunt vt
populo DEI prosint, non vt præsint ac

principentur, vt excolant pascantq; gregem Domini sui, non vt ipsi dominium in gregem exerceant. Non enim tyrannis, non dominatio est, sed officium atq; cura, functio pastoralis. Atq; vt cura est, ita neq; vlterius cura hæc se porrigit, quā ad eos, quorum propriè suscepta ei sit procuratio, tum neq; aliter accommodanda, quàm ea duntaxat ratione, quæ propriè ipsorum conueniat instituto, quibus cura mandata est. Neq; enim pædotriba, quia liberis admouetur instituendis, idcirco ius sibi parentum in filios, aut principis in subditos adsumit, quin nec aliter in schola ferendus, quàm vt recta sanáq; doceat. Itidem quum sacri pastoris omnis in eo sita sit administratio, vt conscientias tractet Christianorum, vt propagando Christi regno studeat, intra fines suæ scholæ se contineat, pastorem se, non principem, seruum non dominum præbeat. Aliud est imperium gerere, publica & Christiana autoritate: aliud Christi seruum esse in pascēdo grege & sub imperio contineri: Quanquam & in hoc ipso quoq; seruiendi genere non deest sua quædam dignitas. Sicut in omni republica quæ eximia & præclara sunt, facilè ipsa per se laudes bonorum & admirationem excitant: ita qui ad ecclesiam accedunt diuinis spiritualium charismatum dotibus, ac Christi virtute delibati, nunquam his defutura est, nec ambientibus, sua reuerentia & dignitas, quæ nimirū viros bonos & admirandos semper comitari solet: non quæ principes tamē eos, non quæ terrarum Dominos,

Cura pastoralis quibus cōtinetur, & quo modo administranda.

minos, nõ quæ Monarchas faciat, nec quæ iustis etiam Monarcharum imperiis eos eximat.

Quod igitur ad iura principum attinet, quũ tanta sit regionum, populorũ, legũ ac linguarũ in mundo varietas, nihil est diuina præscriptione conuenientius, quàm vt in omni hominum societate, summa rerum potestas ad vnum aliquem tanquam ad caput primarium deferatur: cuius autoritate & imperio cæteri omnes contineantur, singulisq; sua cuique officia, ac munera, vt quidq; in republica gerendum est, distribuantur. Ex quo sublimiores potestates à Deo (vt est apud Apostolum) necessario dominantur, licet eædẽ suis tamen finibus & pomeriis quibusdam à Domino circumscriptæ. Vniuersalem verò totius ecclesiæ aut fidei Dominum & caput, præter vnum Christum, nec regem, nec imperatorem quemcunq; agnoscimus. At quis te tum gubernaculis vniuersæ ecclesiæ Dei tam longè lateq; per omnes mundi plagas disseminatæ præfecit vnquam, Romane põtifex? Aut quis ante te, tam superbo cognomine sese iactare vnquam, vel Apostolorum tempore, vel post eorum memoriã audit⁹ est, sine grauissima optimi cuiusq; reprehensione? Aut qua fronte deniq; tute ipse id auderes vnquam tibi arripere, vt solus pro œcumenico vniuersi nominis Christiani ecclesiarcha colaris, nisi Antichristus esses? Quamobrem quîd hîc agas Romane præsul, aut quîd agere potius debeas, etiam atq; etiam tecum cogita. Quod si in eo maiestatem tuam lædi à nobis pu-

Rom. 13.

Vniuersalis ecclesia vnũ solũ vniuersale caput.

tes, quod è finibus nostris te eiiciamus, quæso à te, vt quum verè recordari tecum voles, quãtum hactenus emolumenti tibi hactenus, accreuerit ex nostra erga te obedientia, nunc istud nos edoceas, quid in hac nominis tui autoritate situm sit, cur eadem diutius sit nobis necessario retinenda.

Vniuersalis hierarchia rom. pontificis nulli vsui seruit in ecclesia Christiana.

Quid enim, an vt salutem nobis & benedictionem impartias? At ea abunde in Christo vnico seruatore plena nobis constat & sempiterna. Vt admissorum veniam largiaris? At hanc nobis sine tua opera fides porrigit Euangelica. Quid vt verbum Dei populo annuncies? an quod soles potius, vt pro verbo Dei annũcies humanas traditiones, decretales fabulas? vt verbum Dei peregrina celatũ lingua populo eripias? Vt doctrinã dissemines dæmoniorum? At magnam habemus domino gratiam, non desunt qui sacrum hoc prædicandi munus, apud nos liberè & feliciter, absq; laterano pontifice exequantur: idq; eò etiã liberius, quo longius ab illius absunt tyrannide. Quid porrò, vt lites & controuersias apud nos cõponas? At vbi melius finiuntur lites, quàm vbi natæ, notæq; sunt maximè causarum circumstãtiæ. Vnde nõ temerè ab Affricanis patribus sanctitũ sit teste Cypriano, vt vniuscuiusque illic causa audiatur, vbi crimen admissum sit, vbi & accusatores, & testes sui criminis habere possit. Additq; sanctio, vbi singulis pastoribus portio gregis ascribitur, quam regat vnusquisq; & gubernet, rationem sui actus domino redditurus, &c. Et

Cypri. libr. 1. Epist. 3.

&c. Et quid hic prouide in Britannicis negotiis Romana aget inquisitio, quam ita à suis exclu- serunt Affricani?

Verum ad initiandos Episcoporum & ecclesiasticarum ordines necessariũ ducitur põtificis autoramentum. Siquidẽ Episcopos alioqui legitimos esse pernegãt, nisi huius auspitiis designatos. At hoc quid aliud est, quàm ecclesiam liberæ electionis munere legitimo & autoritate orbare, hancq; ipsam ecclesiã, quæ Christi spõsa sit, pontifici subijcere, nõ pontificẽ ecclesiæ? quũ tamẽ Paulus apost. ad Cor. scribens, ipsos etiã apostolus ecclesiæ subijcere minime dubitabat, ijs verbis: omnia, inquit, vestra sunt, siue Paul⁹, siue Cæphas, siue Apollo, siue præsentia siue futura: vos Christi (nõ pontificis, ait) Christ⁹ verò dei. Breuiter quod ad χειροθεσίαν illã attinet, quã illi sine põtificio Chrismate illegitimã omnino putant, qui minus idẽ ecclesiis nostris licebit, in comitijs ecclesiasticis, suisq; pastoribus constituendis, quod Cardinalibus Romanis in suo licebit pontifice? Nam si Romæ nulla ferè succedere soleat hominũ aut palliorũ consecratio, nisi quæ sit mercenaria, nec vlla ferè manus imponitur, quã non perũgant τὰ χρήματα magis quã τὰ χρίσματα: Cedò, quid obstat, quo minùs licita & Canonica videatur nostrarũ ecclesiarũ ordinatio, quæ legitima canonũ præscriptione peragitur, nõ sine doctrinæ examine, morũ inspectione, & ecclesiæ simul adiũcta cõsensione, præsertim quũ ipse pollicetur domin⁹: sicubi duo aut tres de re quaq; consenserint

Superior respectus ecclesiæ, quã Apostolorum aut ministrorum.

1. Cor. 3.

Mat. 18.

senserint in nomine ipsius, Patrem ipsum illorũ suffragiis non defuturum.

Παραϰνατιολόγητος.

Quæ quum ita habeant, quæro nunc, quid habes, Romane, quod queri possis? quæuè nunc tibi sit a nobis iniuria? Si nulla, quid frendis, quid exæstuat adeo tua bilis? quotsum tanta hæc bullarũ tonitrua, & bellorũ fulmina, quibꝰ oĩm nostrũ si vna esset ceruix, videris cum Caligula, vel vno ictu cõcidere voluisse si liceret. Id verò quo minꝰ liceat, nulla neque tua improbitas nec timor aliquis, sed Dei obstitit in nos benignitas, quæ impia malignantium sæpè molimina, vel in autorum capita reflectit, vel in telas vertit aranearum. Sed agê, vt hoc modo donemus ô bone, illatam ab vlla ecclesia sedi tuæ iniuriam. Quod quum re ipsa falsissimum sit, at cogitatione fingamus tamen. At meminisse te tamen conueniebat, cuius esses spiritus, si modò Christi esses, cuius te vicarium vindicas. A quo si nondum id quod primum ac præcipuum est, didicisti, hostibus tuis precari bene: saltem quod proximum erat, minimè te obliuisci decebat: ut quicquid hoc iniuriæ esset, in quo præter æquum te offenderimus, certè in priuata tua causa, minimè te commoueres, sed id totum Deo vindicãdum permitteres. Sic enim scriptum à Deo tuo legis: Mihi vindictam, & ego retribuam eis, dicit dominus. Neq; enim dubitare potuisti, quin is pro iustitia sua susceptam in se causam, siquidem probasset, tuam multo & rectius teipso & potentius expediuisset. Ad quod quum multa te exempla du-

Math. 5.

Deu. 32.
Rom. 12.

cere

cere potuissent, tum illud imprimis Gamalielis consilium in mentem reuocasses, quo vesanam ille pharisæorum ferociam à cæde apostolorum compescuit, consimilem in modum cum illo cogitans: Si ex hominibus est, aut humano cõsilio susceptum, quod agunt isti, dissipabitur sua sponte: Sin Deo autore initum, frustra simul & nefariè renitar, quippe non hominibus solũ, sed Deo etiam repugnaturus. Act. 5.

Atq; hæc hactenus ita tecum ago, ac si in læsa tua dignitate iustam hîc aliquam criminandi causam sustineres. Quod ipsum etiam si verum esset, priuatas tamen iniurias tam grauiter vlcisci nõ solet apostolica grauitas, nec docent literæ Christianæ: mitius saltem agere cum fratribus etiam delinquentibus lenitas suaderet Euangelica. Qui etiamsi Romani non simus, tamen quia sumus Christiani, vel Christi causa, quem colimus, etsi te non colimus, quid Christianus in Christianos debeat, spectandum erat, si modo verè esses Christianus. Certè probra ista & contumeliæ, quibus nos omnes nostrasq; respub. in inuidiã, in exitium, & vastitatem pertrahere conaris, nullo modo professionem decebat, quam induisti.

Nunc verò, vt ad rem accedam propiùs, teq; pressiùs constrictũ detineam, ita tecum contẽdo, vt non modò omnes tuas in nos coniectas petitiones rationis inanissimas esse, stultitiæ & superbiæ plenissimas conuincam, verùm vt illud etiam liquido edoceam vniuersam hanc compa-

ratam contra te dimicationem gentium ac populorum tantam hanc, quantam vides nō modò omni carere iniuria, sed summa etiam necessitate conflatam, nec minori pietate susceptam, nec tam ab ipsis hominibus aut humano consilio procuratam, quàm Dei ipsius manu gubernari: sicq; gubernari, vt sine ipsius numine, tot tantæq; res confici tam breui temporis spatio, tantoq; successu nullo modo potuissent. Quod quò compertius tibi tuęq; coniurationis asseclis intelligatur, aperi paulisper mentis oculos, rerumq; gestarum ordinem & magnitudinem circumspice.

Romanæ sedis per annos quingentos quanta, & quàm incomparabilis stetit potestas.

Primùm eximium istud atq; inueteratū imperii tui domiciliū, ista celsitudinis tuæ moles, sedis dignitas tam pulchrè stabilita, opibus firmata, tot tantisq; vallata præsidiis, scripturis etiā ipsis Petri Pauliq; autoritate, vt videbatur, communita, quamdiu incolumi felicitate orbis tenebat principatum, in quantam sui admirationem gentes vniuersas pertraxerit, nemini incōpertum arbitror. Hæ tantæ vires, maiestas, & amplitudo regni pōtificii, quæ tamdiu ad annos plus minùs quingentos illæsa irruptáque constiterunt possessione, eædem quo minus vel sempiternæ forent, quis vel leui suspitione diuinare vnquam potuit? Accedebat ad huius confirmationem imperii dira legum seueritas, strictissimæ sanctiones, acerrima addebantur suppliciorum tormenta, si quis vel mutire aduersus pontificem quamlibet delinquentem auderet.

Prætex-

Prætexebatur Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ plausibilis titul⁹, clauiū potestas ingerebatur, Petriq; indubitata successio, non sine Pauli huic annexa autoritate: vt qui pontificem iam violarent, non ipsum, sed Petrum Paulumque lædere viderētur. Quin nec deerāt huic Domitiano sua fulmina, quibus è Capitolino suo cœlo pauidas populorum ac principum animulas concuteret. Deniq; ne quid non ad vim modo, sed ad fucum etiam deesset, adiuncta est his blanda quædam sanctimoniæ simulatæ facies, vitæ fucata mundities, & externus religionis habitus, quo magis vulgi oculos & animos perstringeret. Accurrerūt igitur ad obeundam hanc fabulā monachi & sacerdotes, in ieiuniis, in eleemosynis, in psalmis frequentes, in precationibus, in liturgiis assidui: In cœlibatu quiddā angelicum supra mortalem conditionem præseferentes: In templis quàm religiosè ad sensus hominum demulcendos omnia apparabantur?

At inter omnia, haud alia res vlla ad regni huius vel firmitatem, vel diuturnitatem stabiliendam plus contulit, quàm temporum illorū inscitia, eruditionis & iuditii inopia. In scholis nihil præter frigidas & subtiles nugas: In conciliis nihil nisi ad vnius præscriptum pontificis: nec in templis ferè quicquā præter ceremonias & hominum constitutiones percrebuit. Et quid mirum, si extinctis hoc tempore politioris elegātiæ & sacris & prophanis disciplinis, caliginosa barbaries cuncta tenebris inuolueret, quæ nec

cultiorem quemquam nec meliorem redderet, quando nec librorum, nec autorum, vnde hæc petenda erant, vlla suppeterent adiumenta. Neq; enim adhuc prodiit in lucem auspicata, ac diuina illa libros procudendi felicitas: solo scribendi labore, & conductiitis librariorum operis, idq; non nisi magno, coëmebantur omnia. Quo factum est, vt exclusis ab omni facultate discendi tenuioribus, vix vllus omnino librorũ aut literarũ vsus nisi penès opulentos quosdã monachos, eosq́; per paucos maneret: apud quos hi ipsi etiam descripti codices in Bibliothecis magis quàm in manibus versabantur. Interim quid Euãgelicæ & apostolicæ literæ de Christo, de gratia eius, & beneficiis prædicarent, neq; legebat populus, neq; audiebat: Tantùm credere iubebatur, quod crederet ecclesia. Neq; illud omnino male, si ecclesiã suis recte finibus constituissent. Nunc homines docti & sapientes ecclesiam hanc non aliam volebant, quàm sedem Romanã esse, cœtumq́; illũ in quo ter sanctissim⁹ Papa caput & dominus vniuersalis agnosceretur. Illius parere decretis, tanquam diuinis è cœlo oraculis singuli cogebantur & vniuersi: Quicquid ab illo ceruicibus impositum Christianorum, necessariò ferendum erat. Illum vnum sacerdotem esse Leuitici generis, nodum & vinculum Christianæ societatis: sine quo nullam esse fidem, nullam spem, nullam ecclesiam dictitabant. Qui ab hac ecclesia, hoc est, ab illo discedat, nihil huic ad salutem æternam fore reliquum. Illum, quicquid dicat

Artis typographicæ fœlix inuentio.

dicat agátque, nec errare posse, nec iudicari à quoquam oportere: Christum in cœlis regnare, illum in terris. Et si Christus nunquam non affuturum se ecclesiæ suæ certò promitteret, non aliter tamen eum in gubernanda ecclesia opes suas dispensare, quàm per vnum hunc vicariũ suũ, certissimè statuebant.

In hoc rerum temporumq; statu, quæso quid iam rudis & insulsa plebs scire aliud potuit, quã quod ab aliis edocebatur? Et quid aliud ab his vulgi tum auribus ingerebatur, nisi quod ad amplificandam pontificii regni maiestatem quoquomodo pertinebat? Cuius vt quisq; quàm maximus esset assentator, ita absolutissimus habebatur Theologus. Tũ verò præclara hæc erãt argumenta, non ex leuibus paleis, sed ex intimis Theologicæ philosophiæ scholis petita. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Pasce oues meas. Ergo sanctissimus D. Papa sedis Romanæ princeps sedet vniuersalis, cui soli datæ sunt omnes iurisdictionis claues. Romana sic docet Ecclesia: Sic vniuersali pontifici visum est, qui spiritum sanctum in scrinio pectoris circumgestat: Sic per manus traditum est. Ergo est Catholica veritas.

Romanæ religionis demõstrationes & fundamenta.

Amabò amice lector, quæ vnquam fortior esse potuit illusionis efficacia? In tanta densissimatum tenebrarum caligine, quid minus difficilè fuit quàm multitudinem infinitam ac imperitam in quemuis errorem circumagere? Veluti

ſi cui quis oculos prius eruat, facile dehinc in præcipitium quodcunq; libeat eum pertraxerit. Quod ni summus ille ὁ παντοκράτωρ, omniumq; moderator Deus, oriens ex alto manus huc admouisset, quid hominum omnium omnia simul coniuncta consilia, vires, opesque valuissent in debellanda hac tam fortiter constabilita, longáque consuetudine inueterata pontificiæ potestatis monarchia? Quod persæpè antehâc & multis & magnis argumentis declaratum est. Quoties à potentissimis monarchis, regibus, mundiq; dynastis hoc agebatur, vt insolentem hanc pontificiæ superbiæ ferociam reprimeret, at nullo tamen successu. Vel enim periculi metu, vel religione impediti, aut fuco decepti, vel suorum defectione coacti protinus destiterunt.

Pontificia ſedis ſubuerſionem non ex hominibus, ſed à Deo ipſo autore accidiſſe argumentis declaratur.

Quorum quum infinita exemplorum vis in promptu ad manum suppetat, si è Gallia, Germania, Anglia, Sicilia, Austria, Reges imperatores, singulos referre vellemus, Philippos, Ludouicos, Ottones, Henricos, Fridericos, quos liceret: Nos tamen cæteris hoc tempore prætermissis principibus, quoniam in Britannos sermo nūc incidit, ex eorum monumentis, quod ad rē satis fuerit paucis signabimus. Annis ab hinc quingētis principante apud Anglos Gulielmo Normanico, aut circa id maximè tempus, cæpit primū maiori potentia sese attollere Romana hæc, quam dico tyrannis. Cui non multò pòst obniti nōnihil pertentauit Henricus eius nominis primus.

Henricus 2. Angliæ rex.

mus, doctus iuxta ac cordatus princeps. Deinde post hũc acriori impetu eidem se opposuit Hẽricus secundus: sed mox per Pandulfum Legatũ facilè vis regia compressa est. Sequebatur non multò pòst Ioannes Angliæ Rex qui maiores sibi animos aduersus pontificem exacuerat, sed hęc quidem vis nec quicquam valuit. Subiit post hos Henricus eius nominis tertius Britannicus, qui magno id studio habuit, vt Romana vectigalia, quæ nec modum nec rationem vllam habebant, è Repub. reuelleret. Pium profectò regis optimi institutum. Sed vicit tamen intolleranda pontificis superbia. Henricus (inquit) Rex sua habet consilia, & ego habeo mea.

Ioannes rex Angliæ.

Henricus tertius Britannicus.

Ex Matthæo Parisiensi.

Quid quod à doctis etiam magnisq; Theologis idem hoc pertentatum ex historiis cognouimus, vt ad modum aliquem superbissimæ sedis tyrannidem reuocarent. At ne hi quidem quicquam profecerunt. Mox enim vel in carceres, vel ad palinodiam, vel ad supplicia abrepti obmutescere cogebantur. Quo in numero infinita piorum Martyrum capita præter Valdenses, Albingenses, Merindolanos, Bohæmos in annaliũ monumentis referuntur. Quę res alia exitio fuit Hieronymo Sauouarollę viro optimo, cuius insignes conciunculas Italica loquentes lingua & Venetiis excusas, ne adhuc quidẽ Italia ipsa perferre poterit. Quid duos monachos illos, qui Auinione exurebantur sub Innocentio sexto? Quid aliud Guliel. Sautriũ Suynderbiũ, Thorpũ, Gualterũ Brutũ doctiss. Iuuenem, Ioannem

Theologi ad silentium,

Martyres ad supplicium adacti, quotquot pontifici aduersabantur.

Ex chronicis Henri. de Erphordia.

Badbium,

Badbium, Cobhamum generosiss. heroa, cæterosque eius memoriæ innumeros in cineres redegit? Quid Ioan. Wicleuum mortuum etiam è tumulo exagitauit? Accensentur huic Catalogo, quos honoris etiam causa recenseo Taulerus, Wesellus, Groningensis, Hiltenius Hennacensis, Guliel. de sancto amore, Nicolaus Oremmus, Gulielmus Laudunensis, Ioan. Poliacensis, Armacanus, Petrus de Vineis, Tulliensis Archiepiscopus cuius meminit Auentinus.

Ex Ioan. Auentino.

Sed nimis ista antiqua prætereo, quæ si singula commemorare vellem, nimium dilatanda esset oratio: Propius ad tempora accedo viciniora. In quibus nescio quo modo Romanæ impietatis multo magis erupit ferocia, tum verò maximè, quum sanctiss. virum Iohan. Husiū, eiusdemq; martyrii consodalem Hieron. Pragen. fide publica euocatos summa perfidia cum pari cōiuncta crudelitate scelestissimo mactastis incendio. Factum id negare pontifex non potes. Si causam abs te quæram, quid ais tandem? quid commeruēre? quid patrarant? an aliquid contra Christi numen impiè? Nihil minus, sed quia fastum pontificium boni viri pro fide sua ac officio vellicare sunt ausi. Eò tum prouecta fuerat Babylonicæ meretriculæ cum summa potentia par iuncta crudelitas, vt neq; contra eam mutire auderet quisquam, neque si id faceret, quicquam proficeret.

Ioan. Husfius Hiero. Pragēsis.

Quamobrem si immensa hæc imperii vestri ampli-

amplitudo & potestas tanta, quanta vix vnquam memoria mortalium in terris audita sit, tanta autoritate, armis, copiis, opibus, præsidiis, amicis cincta & firmata, quam vos tamdiu penè inuictam aduersus omnes humanas hactenus molitiones tenuistis, fractior nunc facta, ac debilitata videatur, quid illud sit, quod plagam hanc vobis, vestræq; sedi tenebras attulerit, satis iam te, Romane pontifex, perspicere suspicor. Certè non humana vis aliqua, non principum potentia, non copiæ militares, non regum, non imperatorum manus, non hominum ingenia, aut mundi huius consilia. Tu fortassis à Luthero autore atq; adiutore Caluino cæterisq; conflatum hoc incendium arbitraris: Ne putes pontifex. Fuerunt lapides quidem isti in te proiecti. At quæ manus istis te cædit lapidibus parum intelligis. Tu ea tantùm quæ foris sunt, spectás, præter Lutherũ & Lutheranos nihil vides; At alius est qui intus totam mouet machinam. Quem si nondum ex tot clarissimis iudiciis perspicere, neq; animi vlla ratione adhuc cõplecti potuisti, licebit nunc ex D. Paulo quis ille sit, luce clarius, cognoscere. Quem dominus, inquit, conficiet spiritu oris sui. Quum dominum ipsum audis, autorem habes ipsius actionis non Lutherum, non Caluinum: sed summũ ipsum totius scenæ choragũ, qui actores suos in proscenium producit, quos lubet & quando lubet. Porrò quum spiritum audis oris sui. In eo modum habes & rationem expugnandi aduersarii,

Ruina Romana sedis non hominibus imputanda, sed Deo soli.

2. Thes. 2.

D non

non vi bellica, aut externo brachio, sed arcano afflatu, & prædicatione verbi.

Quod si ne hæc quidem satis adhuc tibi persuadeant, quæ tu longius ex Paulo petita minus in te quadrare dixeris: propius te iam ad teipsum deducam. Veniamque ad hæc ipsa illius, quem modò memoraui, Ioannis Hussij tempora, tuæ ipsius memoriæ aliquanto viciniora. Ex quo meminisse adhuc poteris, quid tum ille, cum per scelus & furias vestras diu multumque diuexatus ac prophetico admonitus oraculo vobis prænunciaret, futurum vt post centum annorum decursa spatia Deo atque ipsi, cui intulistis hæc mala, essetis aliquando responsuri. Id si neges factum, cum omnes historiæ, tum moneta illa peruetusta, quæ Hussij & Pragensis nomine insculpta passim circumfertur, palã tibi in os reclamabit. De fide nunc oraculi superest vt perquiramus. De qua si quid dubitandum putes, quin positis igitur calculis anni illi nobis suppetentur, qui intercesserunt inter Hussianum Martyrium atq; eum Lutheri exortum, quo is primùm indulgentiarum nugas oppugnauit, quippe qui centesimum illum Hussiani vaticinii annum proximè est consequutus.

Hussij prophetia aduersus Pontificẽ.

Anno Domini 1416.

Anno Domini 1517.

Accedit huc minutius quidem illud, at non indignum fortassis historia, quod idem Hussius in libro Epistolarum ostensum sibi tot ante annos in somnio commemorat: sese in templo Bethleem in quo pastorem ageret, imagines Christi & Apostolorum sedulò depinxisse

Somnium Hussij propheticum de ruina Romanæ sedis.

isse, quibus demum à pontifice, eiusque Cardinalibus obliteratis, successisse non multò pòst complures eius generis artifices, qui easdem imagines, non solùm nitidiore specie restituerent, verum etiam ea multitudine fuisse homines, vt facilè Cardinales ab iisdem cum suo pontifice contemnerentur. Non disputo hic de somniorum fide & interpraetatione: Illud profectò mirum, quàm scitè atque egregie istorum hominum praesagiis rerum euentus respondeat. Atque haec de Husio & Hieronymo hactenus. Quos non multo pòst interuallo insequutus est is demum, quem dixi, Martinus Lutherus, conspicua sine dubio diuini numinis prouidentia excitatus. Caeterum de eo mox suo loco & tempore inferius, donante Domino. Interea quid in hoc ipso temporis interiectu acciderat, quod operaepraetium sit aduertere, persequamur.

Siquidem ab Husiana mactatione vix exierat annus vigesimusquartus, quum singulari Dei cura & incredibili beneficio datum est ingeniis & studiis hominum mirificum planeque nouum, nec vnquam auditum antè libros expeditissima quadam ratione cudendi artificium. Quo instrumenti genere, quum inter caetera omnia opificia vix vllum excellentius, nec humano vsui accommodatius à Deo tributum sit excolendis ingeniis hominum: tum ita sanè existimandum est haud frustra illud, nec sine graui aliquo

Ars typographica.
Anno 1440.

consilio ab autore Deo comparatum esse. Perspiciebat nimirum πολυόμματος ὁ νοῦς quàm misero in statu res haberent Christianorum, quò prolapsa Apostolicæ institutionis fundamenta in scholasticas nescio quas subtilitates, & friuolas argutias recidissent. Videbat quæ, quantaq; potestas tenebrarũ & errorum pestis cæco impulsa furore, hypocrisi fucata, tyrannide armata in veræ pietatis perniciẽ & vastitatẽ grassaretur: quemadmodum fœda vbique cuncta possidebat barbaries: nihil in religione sincerum, nihil in ecclesia integrum, vix quicquam in doctrina sanum persenserat, Pietas in quæstum, fides euangelica in externas ceremonias, ecclesia in regnum non Platonicum, sed pontificium planéq; despoticum degenerauit. Pro religione Christi, quæ vna omnium esse debebat, subierat Francisci regula, Dominici, Brigittæ, aliorũq; sexcentæ religiones, pro cultu diuini numinis festa regnabant diuorum infinita: pro vera inuocatione suscipiebantur peregrinationes, iubilæi, stationes reliquiarum, & imaginum veneratio: Deniq́ue pro Christo, pontifex non in templis modò, sed in conscientiis dominari. In cœlis ille, in terris prochristus Papa, tantò regibus & monarchis omnibus superior, quantò solem luna maiorem esse mathematica constare potuit ratione: septies videlicet & septuagies, fons vnus ille omnis iuris censeri, de plenitudine illius Episcopos omnes haurire necesse fuit. Quid multa? vt primùm cæpit ecclesia suum mutare caput,

Instauratio Ecclesiæ Christianæ qua potissimũ occasione & instrumẽto prouecta.

Regnũ Pontificis despoticum.

Errores & tenebræ in doctrina pontificia.

put, iamq; pro Christo sederet pontifex, hinc factum, vt cùm nouo capite, noua mox prodiret religionis facies, vt vix vlla pars ferè veteris disciplinæ illæsa consisteret. Consilentibus siquidem scripturis, nihil audiri, nihil studiis discentium proponi præter leges, iura, scita, ac decreta papalia: In hæc omnia intendebantur ingenia. His regebantur vniuersa publicè priuatimq; in templis, in iuditiis, in foris ac conciliis. Pietas quæ prius in spirituali mentis institutione veraq; ad Christum conuersione statuebatur, ad res alias nunc transferri, quæ sensus hominũ detinerẽt, non quæ ædificarẽt conscientias. Ita postpositis his quæ sola ad salutem conferebant, plebs ad alia nescio quæ noua mysteria abduci, ad oleum, ad ceram, ad salem & aquã, ad lanam caprinam, cucullas, campanas, calices, templa, altaria pontificia benedictione consecrata, ad iubilæa, immunitates, gratias, expectationes, præuentiones, annatas, pallia, bullas, indulgentias, diplomata: vt cætera ne persequar, innumera quidem illa, quæ isti præter Christi institutum omnia immutarunt, detruncata Sacramenta, nouaq; introducta, subductam populo alteram Eucharistiæ partem, preces ignotas & mussitatas, missas priuatas pro sacra communione in angulis templorum collocatas, vbi sacerdos non participante, sed inspectante & adorante populo, ostendit primùm supra verticẽ, deinde solus manducat, non ad memoriam dominicæ passionis, sed Christum ipsum ad salu-

tem animi & corporis. Nam in eo neruus his censebatur perfectissimæ religionis. Adde iis porrò, satisfactiones, purgatorii fabulas, incruentum missæ sacrificium, salutis fiduciam nõ ex Christo solo, eiusq; fide, sed ex operum iustitia petendam, meritorum & indulgentiarum redemptiones precio propositas.

Diuina præsidia contra Pontificem.

His itaq; tot tantisque malis, quum ferri ea amplius non posse viderentur succurrẽdum tandem aliquando existimauit diuina manus. Et si Antichristo suum dari tempus necesse fuit ad peragendam fabulam: tamen non potuit ita suæ deesse ecclesiæ cœlestis pietas, cui fœdere se sempiterno obstrinxerat, quin rebus sic afflictis & perditis tandem subueniret. Idq; quo cõmodissima, citráq; tumultũ ratione maximè expediret, non arma excitauit principum, non bella ciebat truculenta, sed artẽ hanc, quam dixi excusoriam terris immisit. Quæ primùm doctrinæ fontes aperiret, eruditæ antiquitatis autores in vulgus spargeret, quæ cum iis sacros etiam scripturarũ libros, veterisq; ecclesiæ interpretes in lucẽ emitteret, idq; tanta copia & artis facilitate, vt nemo tam esset tenuis, cui non liceret libros quoscũq; vellet, leui momento comparare atq; perlegere. Hoc modo cæpit Christus mundo paulatim innotescere, inuito Pontifice & Cardinalib9: prophetæ & Euangelia passim exaudiri, Paulus & Petrus, cæteriq; sanioris Theologicæ disciplinæ Doctores atq; magistri in manibus omnium oculisq; versari. Quibus demum perlustratis &

Politiores literæ qua occasione his nouissimis tẽporibus repullularunt.

 cognitis,

cognitis, haud facilè dictu sit, quanta doctrinæ lux, quanta discendi atq; legendi auiditas, quæ temporum mutatio, quàm noua, quàm subito rerum omnium facies sit consequuta.

Atq; hinc illa pictorum, quos modo ex Hussiano oraculo recensui, tanta turba. Hinc illæ expressissimæ veritatis in templo Dei imagines in animis Christianorum insculptæ, nõ nouæ quidem illæ, neq; nunc primùm (quemadmodũ nos accusare soletis) ab istis inuentæ, sed quæ à vobis prius, à vobis ipsis (Quirites Romani) extinctæ nunc denuò ad vetera exẽplaria reuocãtur, quas ne omnes quidẽ posthâc papistarũ filii excindere vnquã valebũt. Porrò post hac, quos dixi pictores, sequuti alii atq; alii emerserunt, emergūtq; quotidie, qui partim linguis literisq; politioribus restaurandis, partim resarciendis pristinę ecclesiæ ruinis operam nauârunt non infeliciter.

Christianæ militiæ satellites à deo excitati.

Hunc itaq; in modum reflorescentibus indies magis magisq; cum vera religione literis melioribus, prodiit in medium suo loco & ordine Martinus Lutherus, neque is tamen solus sine multorum comitatu & fide & doctrina præstantissimorũ hominum. Qui simul omnes suscepta Euãgelii defensione tam iusta & necessaria, quũ nihil aliud, quàm Christi gloriam sibi aliisque proponerent ex verissimis & simplicissimis verbi diuini fontibus, nihil hîc erat (Papa pontifex,) cur in fratres Christianos nihil commeritos, si verè Christianus esses, ita desæuires, tantasque tempestates & turbines persecutionum

Exortus Lutheri.

tanquam Dauus in Comœdia omnia intertur-bans concitares. Quũ multò magis & pietas, & functionis tuæ ratio id flagitabat, vt domino charissimæ suæ ecclesiæ sponso gratias ageres, operamque tuam gloriæ illius propagandæ toto pectore adiungeres.

Christo ac euangelio se opponit Papa Euangelio-mastix.

Nunc quæ Erynnis, quis tartareus ille tenebrarum princeps eò te pertulit amentiæ, vt contra manifestum Dei tui verbum, præter omnem charitatem & pudorem tanto impetu irrueres in pios Christi seruos, proque pastore Christiano violentissimus parricida fratrum oppugnares salutem, pro quorum salute mori dignatus est Christus? Quis enim non dicendo explicare, sed consequi numerando poterit, quot sanctissimorum martyrũ millia, qua suppliciorũ acerbitate, paucis his annis in orbe Christiano, per furoris tui satellites phalarismus hic tuus exhauserit? Quæ inaudita & insedabilis tua crudelitas, quum neq; adhuc desistit, quanta possit ferocia in miseras Christi caulas irrũpere, tum illud lubenter abs te scire percupiam, qua tandem lege, quo iure hanc tantam tibi sumis, Romanæ pontifex, in fideles Christi cultores grassandi licentiam? Nempè verò, opinor, eadem ipsa lege, qua clamatum est olim à scribis & pharisæis: Nos habemus legem, & secundum legem debent mori. Habetis enim legem ab Innocentio tertio rogatam de exurendis hæreticis. Sunt autem apud te hæretici, quicumq; veram salutis rationem ex Christi Euangelio, non

Ioan.15.

ex pontificiis placitis petendam aut edocendam iudicant.

Atqui si sic vobis pergere placeat, quia eadē ratione addatur etiā cruci ipsorū titulus cū eadem inscriptione Pilati, Græcè, Latinè & Hæbraicè, IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Nam si ab inquisitoribus istis vera huius laniенę causa inquirenda sit, quid aliud isti quos ita persequuntur, suis scriptis ac concionibus nisi hoc vnum maximè contendunt: vt Christum dominum crucifixum regémque vniuersorum populi auribus insonent? vt eum glorificent? vt in eo solo omnes defigatur spei ac salutis nostræ anchora? Quid, te quæso, in hoc piaculi, tot tantisq; dignum crucibus?

Mastores pontificii.

Sed mitto totam hanc orationis partem in aliud disserendi tempus, qua de rebus tuis crudelissimè gestis merito queritur genus humanum, vertoq; me ad illud, in quo nihilo minus stulta tua deridēda, quā crudelitas detestāda videatur. Quod enim stultitiæ gen⁹ hoc, vel insaniæ poti⁹, stimulum (quod aiunt) calcibus diuerberare, καὶ θεομαχεῖν: vbi quo contēdis enixius, hoc grauiora tibi ipsi accersis vulnera. Quod vt cæteris ante te tyrannis omnibus in eadem causa contra Euangelium Christi dimicantibus vsu videmus euenisse, idem & tibi pari exemplo posse nō modo venire vsu, sed iamdudum etiam magna ex parte euenisse, satis, nî fallor, intelligis. Quis enim non perspiciat, qui rem ipsam secum qui initia progressusq; causæ nostræ cogitet, quemadmo-

Deus ipse contra furores Papa dimicans.

admodũ tua ista tam excelsa arenoso fundamẽto imposita opificia, nullo impellente, sine humana manu conciderint: cõtrà verò, nostra hæc, quãuis in speciẽ infirma, vel inuitis ab initio imperatorib⁹, inuitis tot regibus, inuitis pontificibus, inuitis propè omnibus, incremẽta ceperint, & paulatim in omnes orbis incolas mira propagatione dimanarint, atq; etiã postremò in regũ iam aulas & palatia cõmigrauerint: Quæ omnia magno indicio esse possunt Deũ ipsum pro nobis στρατοπεδεύειν, tuaq; conamẽta è sublimi deridere, eam quippe vim veritatis esse, quam nec hominũ vires, nec inferorum portæ queant conuellere.

Veritatis vis inuicta.

Quæso enim post tot cædes & funera gregis dominici, post tot cæsa per te & prostrata Christianorum corpora, summa crudelitate, infinita multitudine, quò demum euasit, aut quid profecit tandem tuus hic tantus furor? Miseros mactasti homines, ac mulierculas imbelles Euãgelii causa contrucidasti: causam ipsam adeo euincere non potes, vt eadẽ quo pressa abs te violentius, hoc contra teipsum vehemẽtius inualescat. Quod nisi excelsa Dei manus esset, quæ tuis obuiã veniret conatibus, quid non initũ est abs te consilii, aut quæ defuit consiliis violentia, vt omnia pessundares? Quæ iam diu per totam Europam ora, quæ regio pyris ac rogis tuis non conflagrauit? Quis populi princeps iam seculis aliquot, aut imperator non se mancipẽ explendæ tuæ tyrannidis atq; administrũ præbuit? Age, & quid istis tot tãtisq; molitionibus effectũ est deniq;

niq; ,nisi vt arcti⁹ tuæ quotidie opes ac copiæ cõtrahãtur: eoq; atrocius tua desudat malitia, hoc minus assequaris, altiusq; ipse te in odiũ omniũ penè mortalium atq; detestationem demergas?

In Gallia, in Flandria, quas nuper bellorũ & coniurationum tragœdias consciuisti? In quo si minus tibi successerit, quod voluisti, at voluntas minimè certè ad omne scelus accinctissima, nec studium voluntati indefatigabile defuit. Quid enim mens tum cogitabat tua, quũ in Gallos Guisiũ & Lotharingos: in Flãdros, Albanũ, & Austriacum duo fulmina belli: in Anglos Steukleum ac Bullas tuas minaces immitteres nuper & Hyberni illum Morischi filium: Quid volebat, quid captabat aliud funesta tua conspiratio, nisi bonorum omniũ quotquot Christum verè spirabãt, panolethriam? Hic etenim scopus vnicus esse omnium consiliorũ tuorũ & votorũ summa videtur, vt in publica multorũ calamitate tibi triumphalem τὺν ἀλωσὺν cantillare liceat. Quo nomine diuinæ atq; immortales, ita vt par est, Christo Domino summo aganothetę nostro debentur à nobis gratiæ, qui organa hæc militiæ ac malitiæ tuæ mira ac ineffabili numinis sui potẽtia à ceruicibus nostris repulerit: qui crueta cõsilia coniurationis tuæ incredibili consilio suo quotidie euertit ac dissipat: qui ita te arcanis suis præsidiis constrictũ vndiq; atq; obsessum tenet, vt ne commouere te contra ecclesiam ipsius possis tam leuiter, quin maiore id semper damno atque dedecore tuo facias.

Pontificis in Gallia & Flandria tumultus.

Motus pontificis contra Anglos.

Quod cum per se compertissimum luce ipsa clarius cunctis constare possit, si nondum ipse persensisti, nihil vides. Sin verò videas, quæ tam hæc tam proiecta & gygantæa audacia est, vt non hominibus solum nihil malè commeritis vim moliaris, nisi etiam Deo tuo, eiusq; verbo & veritati te opponas: Et quid demum iis rebus te effecturum cogitas? vt cum cæteros huius mundi principes in partes tuas fucis insidiis, mendaciis, minis, terroribus pertraxeris, diuinum etiam numen illius, qui dominus est exercituum vel consilio vnquam anteuertas, aut potentia vlla expugnes? An quicquam in rebus tam magnum est, tam in mundo excelsum, copiis munitum, consiliis instructum, quod illius vel effugiat oculos, aut voluntati resistat? Clamauit olim in Euangelio dominus: Confidite, ego vici mundum. Et tu nunc cum mundo conspirans clamitare nobis incipis, Confidite, ego vincam Christum? Atque verò, vt verum fatear, ita iam diu munus administrâsti tuũ contra Christi membra depugnans tam gnauiter, ac si haud multum sanè defuisse tibi ad victoriam videretur. Fateor enim per te multa sanctorum hominũ millia prostrata atque excisa esse, vt vix vllus Europæ locus existat, qui non aceruis corporum, & sanguine Christianorum redundârit. Atq; hoc quidem ipsum est, quod in Apocalyptica reuelatione iamdudum præmonuit diuinus propheta. Et vidi (inquit) mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine Martyrum

Ioan. 16.

rum Iesu. Et mox: Hi cum agno pugnabunt. At quæ demum post hanc Epitasin subsequitur Catastrophè? Et Agnus (inquit) vincet eos, quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum.

Apocal. 17.

Agn.^s victor.

Ex quo & acrem & diuturnam quidem dimicationem contra Christū eiusq; sanctos futuram minime obscurū est, quod etiam per annos iam multos euenisse aduertimus: Atq; non procul abesse supremum illum victoriæ diem, cum agnus triumphabit, confidimus. Atquî iam olim mitissimus hic quidē agnus aganothetes noster in seipso semet aduersatias omnes huius mundi potestates deiecit, per potentiam resurrectionis suæ. In sanctis tum demum vincet plenè perfectéque, quum profligata morte omnem lachrymam absterget à facie suorum.

Victoria Christi duplex: altera in seipso iam præterita: Altera in sanctis futura.

Interea temporis quando ita necesse sit, ecclesiam ipsius velut in perpetua hîc versari palestra aduersus hostiles insultus malignantium, qui nunquam faciunt infestandi finem, fit tamen nonnunquam in medio ipso conflictu, vt hostibus victoriam ereptam in sanctorū castra transferat, causamque veritatis diu iactatam & laborantem inuitis aduersariis subleuet, ipsosque in medio victoriæ cursu submoueat. Id quod cum sæpe antehâc in magnis Ecclesiæ periculis euenisse compertū est, paucis ab hinc annis in Henrico Gallorum rege, mox in Maria Anglorum Regina, aliisque aliâs, tum nunquam profectò compertius ac magnificentius, quàm nostris

Henricus Gallorū Rex oculo confixus interiit. Maria. Angl. Regin.

hisce temporibus elucet. Cuius rei quum tot existunt vbiq; argumenta, quæ partim oculis tutè ipse cernis, partim quæ historiarum consignata monumentis obliuisci non potes, facilè ex his intelligere licebit, quid tibi tuisq; posthâc vel expectandum, vel maturè corrigendum sit. Quoties enim his annis iam multis & multos & nefarios tuos furores compressit, studia restrinxit, sacrilegia, vires, & conatus euertit, spes tuas fallaces elusit, ac pestifera coniurationum tuarum consilia vel in ventum dissipauit, vel in pestem sui autoris reflexit benigni numinis excelsa pietas.

Bella Pontificis contra Boëmos comparata. *Sigismundus Imperator.* *Iulianus Cardinalis.*

Primùm post cædem illam quam dixi Hussij & Hieronymi constantissimorum πρωμαρτύρων, meministi, quantas bellorum tempestates contra Boëmos excitasti duce & satellite furoris tui Sigismundo imperatore tum maximè Iuliano Cardinale? In qua expeditione vestra tam acri & furiosa, cum triplici agmine fortissimorum Saxonum miseros Boëmos intra saltum obstrictos vndique teneretis: tamen tam exiguam illorum manum, ne his quidem omnibus armis & copiis fundere potuistis, duce ipsorum Cisca, vel Christo potius. Quumque quinquies eosdem aggressi bellis truculentissimis, toties ab eisdem repulsi ac profligati, cum turpi fuga vestra maiorem illis gloriam cumulastis, an quisquam tam squammeis oculis cæcus est, qui non perspiciat ipsorum causam non solùm Dei iuditio clarissimo approbatam, sed nutu etiam

Cisca Boëmorum Dux.

ac potentia fortissimè contra te defensam fuisse & propugnatam? Vt ne interim ea hic commemorem, quæ Sigismundo Imperatore, post hanc nauatam tibi opem acciderit. Qui inter laudatissimos alioqui principes meritò ponendus, quum antea opibus, honore, tranquillitate, summeque rerum bonarum ex animo succedentium affluentia effloruisset, subitò post Hussii patratum Martyricidium, gentisq; illius infestationem, mutata in diuersum fortuna, quã ipse perturbationem cęteris Christi membris inuexerat, eandem in domesticis suis malis, propriæq; familiæ calamitate experiri cogebatur. Tum verò multò etiam acerbiores à Iuliano Cardinale diuina expetebat vindicta, qui haud multò pòst bellicos hos tumultus in bello Turcico miserè trucidatus occubuit.

Exemplum diuinæ vindictæ in Iulianũ cardinalem.

Insequebatur post hæc Concilium mox Basiliense contra Boëmos præcipuè comparatum. In quo concilio quum Romanæ vestræ fulciendæ autoritatis haud leuis spes quædam posita videbatur, ita tamen præter omnium opinionem res in diuersum cessit Dei nutu ac voluntate, vt nusquam alias ex alio vnquam concilio grauiorem sedes hæc plagam acceperit. Ex quo lacessita sunt illico arma Gallica contra Basilienses. Et tamen neque hic defuit Basiliensibus in caussa iustissima, contra castra, tanquam contra Senacharib bellantibus diuinæ fortitudinis patrocinium. Quid hîc cætera quæ tam multa sunt recenseam?

Concil. Basiliense.

Geneuensis Respublica à pontificiis insidiis sæpius liberata.

Quid de Geneuensi referam republica, quæ per te, tuis inquam maximè consiliis & insidiis, circumuenta, toties diuino defensa præsidio, facilè declarare queat tuam non minus causam Deo inuisam, quàm tyrannidem hominibus perniciosam. Cæterùm vis hæc summi atq; æterni numinis haud scio an vnquam opes suas præsentius aperuit aut magnificentius, quantum contra te voluit ac potuit, quàm in obsidione illa nuper Rupellẽsi. Cuius oppidi incolę ac ciues honesti, cum grauissimè premerentur ab eo, à quo non pugnante solum, sed dormiente etiam facilè superari posse viderentur: adeò tamen illorum defensioni non defuit paratum & expeditum diuinæ benignitatis subsidium, vt fame non minùs quàm obsidione periclitantes, & piscium miraculo saginati, simul & belli periculo, incredibili Dei beneficio liberati fuerint. Ex quo quid de tota ipsorum causa iudicanda sit, vel Deo ipso teste, nemini dubium esse potest.

Obsidio Rupellensis.

Rupellenses defensi.

Quid ergo, inquiet aliquis, an seditiosam rebellantium contra suos principes violentiã probabit Deus? Non equidem affirmo. Sed seditionem hanc Rupellẽtium fuisse aduersus suum regem id certè pernego. Siquidem neque illi contra regem suum causæ huius defensionem suscepisse, neq; Rex suum ipsius negotium hic egisse, sed pontificis, existimandus est. Quamobrem si subditi in hac causa, quam propugnabant, succubuissent, neque hi rebelles in resistendo, neque si uicisset Rex, victoria hæc illius, sed pontificis

propria

propria fuisset. Non enim in hoc certabatur, vt Rex Gallis, sed vt Regi & Gallis Romanus imperitaret. Neque ideo arma à subditis induta sunt, vt legitimo suo principi vnciam illi vnam maiestatis auellerent, vt solio euerterent, dignitate nudarent, iure spoliarent imperii, non vt leges ei præscriberent: imò magis, vt vnum solũque suum in terris principem, citra superiorem externæ potestatis subiectionem, agnoscere: eiq; vni non duobus in vno regno monarchis parere liceret, legesq; rex ipse suas, quas toties sanxisset, retineri à se permitteret. Huc omnis illa subditorum & honesta & necessaria spectabat defensio, vt iam arma illa non contra regem, sed pro rege multò verius suscepta viderentur, sicque suscepta, vt verè liberum integrumque sui principis statum ab omni Romanæ potestatis subactione, seq; ipsi in regis solùm sui obseruantiam & clientelam constituerent. Neque enim quid in re quaque agatur, simpliciter intuendum est, sed qua causa, quibus studiis, quo fine animiq; destinatione actiones dirigãtur, spectandum. Quæ quum ita sint, quid quæso vel rex ab amicis charissimis, à subditissimis ciuibus postulare amplius: aut ipsi suo præstare Domino gloriosius potuissent? Quapropter si diuina pietas in tanta temporum & periculorum magnitudine, aliquam fauoris sui gratiam, & victoriæ inclinationem, necessariæ ciuium defensioni, quàm superbissimæ pontificis ambitioni concedere maluerit, id ita rex pro sua æquitate accipiat, ac si

Gallorum defensio non rebellio, pro rege, non contra regem.

nihil magis è dignitate sua, nihil pro libertate tranquillius, nihil pro pace & sua & totius reipublicæ accommodatius potuisset ei vnquam donari diuinitus.

Sed relicta paulisper Gallia, in Germaniam nunc dilabamur, vbi haud scio an multò his etiam clariora diuinæ contra te victoriæ stratagemata appareant. Quis esse potest tam à vero auersus, tam iuditio stupidus, tam mentis inops, qui Saxonum istorum, quos tu prius contra Bohemos conduxeras, nunc multo acrius incitata contra teipsum studia persentiat, qui tot principum, tot regionum & ciuitatum fœdera munitissimis inter se coniūctæ societatis nexibus firmata conspiciat, non facile colligat animo tantarum rerum molem non sine diuina mente & consilio procurari: adeoq; in eum maximè finem, vt sæuiam atq; immanem hanc crudelissimæ tuæ tyrānidis ferociam plus nimio sese efferentem compescat, atq; deturbet: iuxta hoc ipsum, quod de regibus audimus in Apocal. qui odio habituri sunt fornicariam, & desolatam facient illam & nudā, & carnes eius manducabunt & ipsam igni cremabunt, &c.

Apocal. 17.

Cæterùm quid ego hic reges, populos, nationes, imperia diuinitus contra Babylonicam hanc sedem incensa repeto: quum multo facilius ad vnum te mittere liceat, non monarcham sed monachum duntaxat, inopem atq; inermem, quippe qui nullo prorsus nec satellitio cinctus, nec copiis nec opibus circundatus, aut humana tectus

Mart. Lutherus.

pano-

panoplia, solo spiritus vigore, & prædicationis ministerio ita rem contra te gesʃit (vt Dauid olim contra Goliath) vt nulla eum potestas quãtacunque tua vel attingere, non tot tuæ cucullatorum, mitratorum ac iuratorum phalãges eum comprimere, non omnes addictissimorum satellitum clientelæ debilitare valuerint. Contrà verò ille & vnus & misellus homuncio, sic rationes tuas omnes perturbauit, cõsilia attriuit, structuras, opes, magnificẽtiã monarchię tuę disturbauit, ita arcem deniq; istam Babylonicæ altitudinis à fundamẽtis conuulsit, vt si nondũ suprema demolitione, at magna certe diminutione debilitarit. Quæ quidẽ arx paucissimis nunc fulcimentis quibusdam ad tempus subnixa vix ægrè aduersus fatalem ruinam sustinere se posse videatur.

Sunt hæc aliaq;, magna quidem Dei contra te iudicia, quæ hactenus seu procemia præcessisse satis te videre suspicor Rom. pontifex, quæ dehinc sunt sequutura, tibiq; impendere multò grauiora videantur, omitto hic diuinare: neq; prosequor quæ possum omnia. Illud affirmo, etiãsi omnes tibi fauerent mundi satrapæ, siq; nunquã scripsisset cõtra te Lutherus, lapides, mihi crede, in te clamitarent. Et si Saxo ille tacuisset, Saxa tamen ipsa minime siluissent. Deniq; si vel vniuersa seculi huius pompa & felicitate circũflueres, tãta vndiq; circũdatus gloria, quanta olim in monte ostẽsam sibi dominus Iesus repudiauit: tamẽ tot ista tua tãtaq; flagitia, scelera, insidiæ, mendacia,

impostura, perfidia, tot excitata bella, rapinæ & deprædationes gentium, cædes detestandæ, funera Martyrum infinita, iniuriæ non ferendæ, crudelitas inaudita, cupiditas immensa, fastus & superbia intollerabilis, quin supremi numinis acerrimam maneant, vindictam fieri nullo certè modo potest.

Quod si Dominus tam grauiter ei comminatur in Euangelio, qui vel minimum eorum læserit, qui ipsi fidunt, vt tolerabilius ei sit, saxo molari ad ceruicem adligato in maris profundũ præcipitari: quid his dicendum, qui summos imperatores in Christo credentes pede proculcant, reges solio deturbant, ciuitates & nationes Christianas diris deuouent, maximos pariter ac minimos in exitium & vastitatem vocant, innocentes trucidant, sanctorum corpora inflãmant, pacem denique ex vniuersa ferè hominum vita profligunt? De Herode sumptum suppliciũ narrat historia Apostolica, qui cum ab impiis assentatoribus vox non hominis, sed Dei tribueretur, inflatus immensa gloria animus nec hominẽ se esse agnosceret, nec gloriam Deo tribueret. Iam si exempla exemplis conferenda sint, è duobus his vtrum tandem dicemus superbius in Dei gloriam peccauisse, Herodem, an Nicolaum Romanum pontificem, quem eo nomine quintum numeramus, quo tempore is à Ladissao rege in solenni concione publicè compelleretur in hæc verba: libet enim verba ipsa regis ex historia apponere. Vnde (inquit rex) initium

Acto. 12.

orationis sumam? Quibus verbis te vnicum Christianorum principem, te regum regem atque in terris Deum adorem, non facilè constituere possum &c. Rursusq; mox paulo: lætissimam omnium hodiernam diem illuxisse sentio, in qua diuinitus datum est, tantum & tam præsens numen intueri, colere, & saltē integra mente, ac vera fide venerari &c. *Cocheus in historia Hussitarū, Lib. 11*

Nec admodum huic dissimile est, quod Iulio 2. acclamatum est in publica Christof. Marcellii concione: in hanc sententiam: Tu pastor, inquit, tu medicus, tu gubernator, tu cultor, tu deniq; alter Deus in terris &c. Ecquid vnquam auditu fœdius, aut dictu turpius cuiquam tribui aut accipi à quoquam potuit, quàm vt Deus in terris homo mortalis ab homine adoretur. Quæ tamen blasphemiæ vox adeo ab his pontificibus minimè repudiata est, aut repræhensa, vt non alia re magis Ladislaus pro rege Catholico haberetur. *Ex Tom. 4. Concil. pag. 569.*

Sed quid vnum ego Nicolaum, aut Iulium produco, quasi vnius hoc aut duorum exemplū sit, ac non ex vno potius cæteros eiusdem sedis collegas spectare liceat. Qui in eadem omnes ferè schola edocti, cum incredibili fastu, eam pariter adiunxerunt impudentiam, vt potentissimis etiam dynastis non modò manus, sed pedes etiam, quibus vix terram contingere dignantur, deosculandos porrigant: qui præscriptas à Deo leges conuellere non vereantur, præceptaq; illius suis adeò postponant decretis, vt peccatū etiam *Fastus Papalis.*

impoſturæ, perfidia, tot excitata bella, rapinæ & deprædationes gentium, cædes deteſtandæ, funera Martyrum infinita, iniuriæ non ferendæ, crudelitas inaudita, cupiditas immenſa, faſtus & ſuperbia intollerabilis, quin ſupremi numinis acerrimam maneant, vindictam fieri nullo certè modo poteſt.

Quod ſi Dominus tam grauiter ei comminatur in Euangelio, qui vel minimum eorum læſerit, qui ipſi fidunt, vt tolerabilius ei ſit, ſaxo molari ad ceruicem adligato in maris profundũ præcipitari: quid his dicendum, qui ſummos imperatores in Chriſto credentes pede proculcant, reges ſolio deturbant, ciuitates & nationes Chriſtianas diris deuouent, maximos pariter ac minimos in exitium & vaſtitatem vocant, innocentes trucidant, ſanctorum corpora inflãmant, pacem denique ex vniuerſa ferè hominum vita profligunt? De Herode ſumptum ſuppliciũ narrat hiſtoria Apoſtolica, cui cum ab impiis aſſentatoribus vox non hominis, ſed Dei tribueretur, inflatus immenſa gloria animus nec hominẽ ſe eſſe agnoſceret, nec gloriam Deo tribueret. Iam ſi exempla exemplis conferenda ſint, è duobus his vtrum tandem dicemus ſuperbius in Dei gloriam peccauiſſe, Herodem, an Nicolaum Romanum pontificem, quem eo nomine quintum numeramus, quo tempore is à Ladiſſao rege in ſolenni concione publicè compelleretur in hæc verba: libet enim verba ipſa regis ex hiſtoria apponere. Vnde (inquit rex) initium

Acto. 12.

orationis

orationis sumam? Quibus verbis te vnicum Christianorum principem, te regum regem atque in terris Deum adorem, non facilè constituere possum &c. Rursusq́; mox paulo: lætissimam omnium hodiernam diem illuxisse sentio, in qua diuinitus datum est, tantum & tam præsens numen intueri, colere, & saltē integra mente, ac vera fide venerari &c.

Cocheus in historia Hussitarū, Lib. 11

Nec admodum huic dissimile est, quod Iulio 2. acclamatum est in publica Christof. Marcellii concione: in hanc sententiam: Tu pastor, inquit, tu medicus, tu gubernator, tu cultor, tu deniq; alter Deus in terris &c. Ecquid vnquam auditu fœdius, aut dictu turpius cuiquam tribui aut accipi à quoquam potuit, quàm vt Deus in terris homo mortalis ab homine adoretur. Quæ tamen blasphemiæ vox adeo ab his pontificibus minimè repudiata est, aut repræhensa, vt non alia re magis Ladislaus pro rege Catholico haberetur.

Ex Tom. 4. Concil. pag. 569.

Sed quid vnum ego Nicolaum, aut Iulium produco, quasi vnius hoc aut duorum exemplū sit, ac non ex vno potius cæteros eiusdem sedis collegas spectare liceat. Qui in eadem omnes ferè schola edocti, cum incredibili fastu, eam pariter adiunxerunt impudentiam, vt potentissimis etiam dynastis non modò manus, sed pedes etiam, quibus vix terram contingere dignantur, deosculandos porrigant: qui præscriptas à Deo leges conuellere non vereantur, præceptaq́; illius suis adeò postponant decretis, vt peccatū etiam

Fastus Papalis.

25. q. 1. Violatores.

in spiritum sanctum Canonum suorum violatoribus denuntient, qui vnum sibi cum Deo consistorium vendicent: qui quicquid agant nō posse se à quoquam mortalium iudicari volūt, qui reges se regum esse, & ius regium habere in subditos iactitant: qui reges & monarchas iureiurando in verba sua adigant: qui à parasitis suis non solùm Dominos Dominantium appellari se, sed adorari etiam patiuntur, nec solùm se beatissimos, sed sedem etiam suam diuinissimam dici & audiant & applaudant. Denique qui in templo Dei sedeant, non vt doceant, sed vt regnent & dominentur. Quibus minimè id satis sit, ministros se aut Episcopos dictitari, imò ne Archiepiscopos quidem aut patriarchas, nisi vniuersali etiam potiti potestate, vniuersam ecclesiam Dei, quacumq; patet terrarū orbis, omnèmque adeò humanam creaturam, ex necessitate salutis vniuersali suo astringant imperio, ita vt nihilo minorem à subditis suis obedientiam accipiant, quā ipsi Deo præstare debeant.

De Maioritate vna.

Ex Tomo Concil. in oratione Stephani Patracenensis.

In quo quid satis cogitem, aut demirer, nescio, istorumne magis insolentiam prodigiosam Romanensium? an cæterorum potius Episcoporū nimiū profecto supinam patientiā: qui prẹter ius & fas, præter omnem diuinissimæ scripturæ autoritatē, contra morē maiorum, & antiquissimæ ecclesiæ consuetudinē, tantam hanc in se iniuriā, atq; in ecclesiam Dei pestē admittere voluerint. Quod nisi dominus ipse, non solùm vitæ exemplo, sed apertissimis etiam verbis, à prophana

hac

hac dominandi cupiditate suos coërcuisset, atq; ad summum huius seculi contemptũ, omnémq; deiectionem animi eos reuocasset, maximo semper fastidio ea detestans, quæ mũdi huius excelsa maximè forent & gloriosa, min⁹ equidẽ mirarer vestram hanc, viri Romanenses, de vniuersali πρωτοκαθεδρία contentionem. Nũc quid æquè cũ Euangelicæ doctrinę institutis, quid cũ perpetua Christi mente, eiusq; religionis indole, natura ac spiritu pugnat infesti⁹? Cuius si minus apud vos valebit loquens in sanctissimis Euangelii literis autoritas: ad primarios illos, si placet, grandioris ætatis doctores, prouocemus. Quorum ex omni numero, quis vnquam te (Romane pontifex) honorario hoc donauit titulo, vt christianorum vbiq; viuentiũ vniuersale caput te diceres? Quis tibi gladium vtrumq; in manus vnquã imposuit? Quis autoritatẽ hanc tibi singularem designauit concilia conuocandi? Quis mundũ vniuersum tuã esse Diocœsin statuit? Quis plenitudinẽ potestatis tibi in omnes Episcopos ascripsit? Quis te non modo reliquis patriarchis & regibus, omniq; humana creatura, sed sacris etiã conciliis omnibus potiorẽ aut somniauit vnquã, aut pronunciauit? Quis superiores principũ potestates, quibus vox cœlestis omnẽ animam subiicit, à te autoritatem velut precario suscipere verbo vnquã significauit? Quis te purgatorii iudicẽ posuit arbitrarium? Quis in scrinio pectoris tui ius omne aliquando clausit, aut scripturæ solũ te interpretem dominumq; fidei nobis imposuit?

Luc. 16.

Antiquitas Maiorum contra principatum pontificis.

Ex tota hac antiquitate patrum, quos dixi, si vel vnum pro te testem idoneum produxeris præter eos, qui aut Romani fuerint, aut à vobis confitti, uincas. Sin minùs poteris, quod neque hactenus feceris, in causa aut cædas, aut cadas, totâq; hanc vetustatis defensionẽ deseras, necesse sit. Atq; ne nube testium te obruam, quos nominatim aduocare mihi contra te liceret, vel vnum saltem è multis Gregorium Romanum illum vestrum Romanos audire nõ pigeat. Nulli enim vestrum non compertum arbitror, quid ille ad Ioannem Constantinopolitanum antistitem, atque ad cæteros de ea re scribat, de qua tanto vos ardore tam diu contenditis: Contenditis autem ni fallor, de singulari ac vniuersali ecclesiasticæ gubernationis principatu, quem ita vos Romanæ sedi deuincitis, vt qui in ea sedeat, cæteris vniuersis præsideat Episcopis, caputq; vniuersalis Ecclesiæ agnoscatur. In quo quàm inhonestè, & Christi nomine, & Christianorum simplicitate abutimini, spectate viri, precor, præclari, quum id à nobis deposcitis, quod neque nobis integra conscientia tribuere liceat: neq; si tribueremus, vos sine magna aliorum iniuria, vestroq; maiore scelere possetis admittere, vel hoc ipso, quem nominaui, teste Gregorio.

Gregorii testimonia aduersus pontificem.

Qui cum ab Eulogio Archiepiscopo per literas aliquando vniuersalis esset Papa salutatus, is cum indignatione tam superbæ appellationis salutationem reiiciens, adeò non suscepit quod deferebatur, vt nec iussionis vocabulum admitteret,

Grego. libro 7. Epist. 30. ad Eulogium.

ret, magnopere ab eo petens, vt neq; hac iussionis voce, neq; illo vniuersalis gloriæ cognomine in posterum vteretur. Quia, inquit, scio qui sum, ,, qui estis, loco enim mihi fratres estis, moribus ,, patres, itemq; de titulo subiungit in hæc verba: ,, Quæ hîc idcirco libuit adscribere, quo nõ factũ modò Gregorii sed facti etiam ratio constaret. Quia, inquit, vobis subtrahitur, quod alteri plus ,, quàm ratio exigat, præbetur. Ego non verbis ,, quæro prosperari, sed moribus. Nec honorem ,, esse deputo, in quo fratres meos honorem ,, suum perdere cognosco, &c. Quamobrem qui ,, de honore Romanæ sedis tam religiosè dimicãt, ea quæ Gregorius hic habet, etiam atque etiam perpendant velim. Meus, inquit, honor est ho- ,, nor vniuersalis ecclesiæ. Meus honor est fratrum ,, meorum solidus vigor. Tum ego verè honora- *Gregor. ibidẽ* tus, quum singulis quibusq; honor debitus non ,, negatur. Si enim vniuersalem me Papam vestra ,, sanctitas dicit, negat se hoc esse, quòd me fatetur ,, vniuersum. Sed absit hoc. Recedant verba quæ ,, vanitatem inflant charitatem mutilant &c. Et ,, alibi iterum ad Constantinopolitanum scribens ,, perpendere eum iubet, quia in hac præsumptione temeraria, pax totius turbetur ecclesiæ, & gratiæ contradicitur communiter omnibus effusæ. Et mox. Quid enim fratres tui vniuersalis ecclesiæ Episcopi, nisi astra cœli sunt, quibus dũ ,, cupis teipsum vocabulo elationis præponere, ,, quid aliud dicis, nisi in cœlum ascendam, su- ,, per astra cœli exaltabo solium meum, &c. ,,

Gregor. lib. 4. Epist. 38. ad Constantinopolita.

Quin nec minus ſanè prudenter & oportunè in eadem ſubiungens epiſtola, & ſeſe cæteróſque admonet: Formidemus, inquit, in illo numero a-
" ſcribi qui primas in ſynagogis quærunt, & ſalu-
" tationes in foro, & vocari ab hominib' Rabbi. V-
" nus autem magiſter eſt, vos autē omnes fratres
" eſtis.

" Quid à Gregorio dici aptius aut apertius potuit? Cuius ſi quid ipſi, ita vt par eſt, autoritati tribuitis, quid ni & nobis ibidē liceat eadē autoritate, totidemq; verbis, vos ſimiliter cōpellare fratres, patres Romæi Primùm nequa ſedis iſtius inanis vos attollat perſuaſio, quaſi locus ipſe, quē Romæ tenetis, vos à cæteris diſtinguat fratribus, ſiquidem ex loco omnes eſtis, vt ait ille, fratres. Deinde, vt ne ſ[illegible] honorem propriū tueamini, vt reliquis illis, qui pari honoris cōſortio vobis cōiuncti ſunt, iniuria inferatur. Infertur autem tum iniuria (autore Gregorio) quando ex fratrū depreſsione, vos accreſcitis, quumq; gratiæ cōmuniter effuſæ per vos detrahitur. Poſtremò haud temerè iiſdē Gregorianis verbis vos admonem', nequando ſupra cœli aſtra ita ſolium attollatis veſtrum, hoc eſt, ne reliquis eccleſiæ Epiſcopis ambitioſa dignitatis elatione voſmet ita præponatis, vt illud tandem vſu fortaſſe eueniat τὰ ὑπερόφια ὑμῶν, quod apud Salomonem dicitur.

Prouerb. 17. Qui præcelſam ſibi domum ſtruit, querit ruinā. Quanquam quid Gregor. vnum ex tanta turba in teſtimoniū voco, quū ex omni eorū numero, qui Gregoriū antegreſsi ſunt, haud quiſquam ſit

ante eum auditus, qui vniuersalis Episcopus, aut caput Ecclesiæ vniuersalis dici vnquam voluisset.

Cæterùm recurritur hic protinus ad D. Petrũ, haud multum dissimili exemplo, atque in Apologis referri solet de asino τὴν λεοντὴν, apud reliquas bestiolas præferente. Quid, inquiunt, annõ ille inter Apostolos πρωτόθρονος, annon illi τὰ πρωτεῖα à Domino commodata sunt, cui nos in eiusdem throni hæreditate succedimus? Qua de re Gregorium dilucidè docentem accipiamus. Certè Petrus, inquit, Apostolus primum membrum sanctæ & vniuersalis ecclesiæ est. Paulus Andreas Ioannes quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita.. Et tamen sub vno capite omnes sunt membra ecclesiæ. Atque vt cuncta breui cingulo sermonis astringam: sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt ecclesiæ constituti: & nemo se vnquam vniuersalem vocare voluit, &c. Audis proinde Rom. pontifex, si qua fides Gregorio habenda sit, extra Christum vnum, nullum esse ecclesiæ caput, quod vniuersale existat, neque in Paulo, neque in Petro ipso, aut quoquam Apostolorum alio constituendum. Et quod summis Apostolis tribuere non audet Gregorius, quod scriptura etiam detrahit, tu tibi vendicare audebis? facessant gloriosa inflatæ ambitionis vocabula, quæ ex vanitatis, vt ait ille, radice pullulant. Rem ipsam appendamus.

D. Petri τὰ πρῶτ

Gregor. lib. 4. Epist. 38. ad. Eulog.

Petrus nec caput ecclesiæ nec vniuersalis Apostolus vnquam habebatur.

Ad Galat. 2.

Quoniamq; in vno Petro omnis vobis posita est fulciendæ vestræ monarchiæ firmitas, liceat primùm de Petro ipso apud vos paucis agere. Quem vt membrum ecclesiæ primarium, primique nominis Apostolum fuisse vobiscum vnà fateamur. Certè ecclesiæ caput aut vniuersalem fuisse Apostolum minimè id vobis concedimus. Quorum alterum illi Gregorius detrahit: alterum vox ipsa scripturæ indubitata denegat. Quid enim expressius aut locupletius eo Pauli elogio, quo Apostolatum Petri non promiscuè generalem, sed circumcisorum duntaxat finibus, peculiari velut sorte circumscriptum fuisse, sibi vero in gentes creditam diuina delegatione prouinciam testatur. Quod & Christus ipse, & spiritus sanctus clarissimo confirmat oraculo, vbi relicto in natali patria Petro, segregari sibi iubet Barnabam & Saulum ad opus, in quod eos vocasset. At quodnam hoc erat opus, nisi vt hi ad gentes procul emitterentur? Ex quo haud ambiguè constare possit, œcumenicam illam totius orbis curam & perfunctionem non Petro magis quàm Barnabæ & Paulo, cæterisq; incubuisse. Vnde nomen illud Paulo propriè non Petro insignitum est vt doctor gentium populari testificatione sit appellatus. Quin & Chrysostom. de Paulo scribens, καὶ πᾶσαν, inquit, περιελάμβανε τὴν οἰκουμένην, καὶ ἐν ἑαυτῷ περιέφερεν ἅπαντας. Et vbi nunc autoritas hæc, quantam vos sub Petri persona in sedem vestram, patres Romani, stultè distorquetis, multoq; adhuc stultius iacti-

Chrysost. in Episto. Pauli ad Roman.

iactitatis? Deus, inquit Paulus, personam non accipit: & locum ille accipiet? Paulus nullam in Petro eminentiam agnouit supra cæteros, quum neque quicquam contulisse sibi, dextrámque insuper porrexisse societatis prædicat: Et Petri successor nullum admittit socium in administrando Christi negotio? Quæ hæc monstra arrogantiæ? Quæ mendaciorum & seductionũ prodigia? Quæ frõtis hæc plusquàm meretriciȩ impudentia? *Galat. 2.* *Ibidem*

Verùm intermissis his, acrioribus quidem illis, at iustissimis querelæ aculeis, mitescat paulũ oratio: iamque sic loquar tecũ, non vt rixis & clamoribus contra te niti, quibus tamen contra acerrimum Christi hostem merito vtendum erat, sed vt temperata potius illa, quam non mereris disserendi moderatione, disceptare tecum videar. Sicque primùm tecum contendo, non esse hanc relictam à duce & autore redemptionis nostræ consuetudinem, neque id vnquam eum voluisse, vt in ecclesia quisquam ipsius minister eo vsq; se attolleret, vt arrepta singulari totius ecclesiæ τῆ δυναςεία solus prætoriam potestatem & dominatum supra cæteros quosq; Christi ministros atque pastores possideret. Quod si vera Christi vox ea sit: Sicut me misit viuens pater, & ego mitto vos, iam nõ vnũ esse Christi vicariũ, qui eius fungatur munere, quum non vnum verba hæc designarent, liquidissimum est. Quanquam neque hæc eò pertinent à nobis adducta, vt ordinem hunc Ecclesiæ, gradusque τῶν *Vniuersalis Papæ iurisdictio confutata.* *Ioan. 6.*

ὑπερεχούντων à maiorib' receptos rectéq; positos è
Templo Dei excutiamus, quò minus per singu-
las ecclesias & diocœses vnus aliquis præsideat,
cui propter schismata reliqui dicto sint audien-
tes. Sed quid hoc ad regalia S. Petri, aut vni-
uersalem vnius sedis prærogatiuam, quam a-
scribit sibi Romanus pontifex εἰς πᾶσαν τὴν οἰκου-
μένην? Ordinem in rebus ecclesiæ administrá-
dis honestum ac necessarium non respuimus,
inflatos titulos, ac superbum mundi χαῦνα καὶ
ὑπεροπτικοὺς τοὺς ὄγκους vniuersalis huius imperii,
nec Christus in Ecclesiam inuexit, nec Apostoli
vnquam vsurpârunt. Quid quod Dominus
ipse in Euangelio haud aliud ferè enixius tot
præceptis, & exemplis agit, quàm vt suorum
animos ab omni affectandæ gloriæ conten-
tione, ad summam humilitatem, vitæque de-
iectionem instituat, velut quum ad nouissi-
Luc. 14. mum in conuiuiis locum eos deiicit, quum ad
abluendos aliorum pedes, ad puerilis simplici-
Ioan, 13. tatis exemplar, ad fugiendas primas in synago-
gis cathedras, gloriosasque in foro acclamatio-
Mat. 23. nes, ad abdicandum huius seculi fastum, ad ea
quæ excelsa sunt mundi huius repellenda, ad pau-
Luc. 16. pertatem spiritus, ad ferendas iniurias hostiles
Mat. 5. reuocat tam diligenter. Cum & Petrus etiam,
ne in clero dominemini: & Paulus μὴ συσχηματί-
ζεσθαι τῷ αἰῶνι τούτῳ prohibeat tam luculen-
ter.

Dixi nunc satis, in quo Christi mens eiusque
in scripturis sacris institutio cum vniuersali &

plusquam regia sedis istius πρωτοκαθεδρία nullo modo conueniat. Quid tu nunc contra adfers? quid mihi respondeas pontifex: quid habes? quid vel confingere etiam poteris, quod tuæ prætexas ambitioni, audire abs te liceat. Quid, inquies, annon Petrus princeps fuit Apostolorũ? Ridiculum, quasi non eiusdem spiritus, eiusdem omnes vocationis essent Apostoli? aut quasi tu principatum vllum Petro præ cæteris datum cõmonstres, quem aut ille vnquam accepisset, aut Christus donasset aliquando: aut quasi ea tum tempora fuissent, quæ otium viris sanctis permitterent, qui in perpetuo tum metu ac periculis versarentur, vel cogitandi aut somniandi aliquando de principatu. Quanquam neque illud interim abnuerim, quin multorum sæpè in libris & commentariis Petrus sit princeps Apostolorum nominatus. Neque pium quidem hominum affectum aspernor. Sed sermonis formulã excutio, quæ haud alia mihi videtur esse, quã qua, communi loquẽdi vsu, principẽ suæ artis, in quo quisque excellit, dicere consueuimus, aut primas ei tribuere solemus (Græci τὰ πρῶτα siue πρωτεῖα φέρειν exprimunt) qui cæteris in re quaque præpollent. Vt si quis interrogatus, quis sit scholæ Coryphæus aut Capitaneus, hunc aut illum nominet, non propterea cæteros ei condiscipulos subditos facit. Eadem loquendi formula, Ciceronem eloquentiæ parentem, Latinæ facundiæ principem: Homerum Poëticæ laudis, ἀρχηγὸν non inusitato loquendi more

Petrus princeps Apost. quomodo dictus.

Pet. Aposto-princeps vt Cicero princeps eloquentiæ dicitur, excellentiæ causa non Dominii.

more dictitamus, quibus tamen supra priuatam conditionem nihil in sua, in qua vix erunt republica hoc nomine tribuimus.

Et tamen vt ad Petrum redeamus, vbinam Christus tam honorario titulo eum vnquā dignatus est, vt Apostolorum principem diceret? Quando? apud quos? quo in capite? quibus argumentis aut testibus id conuinces? faciam te, inquit, piscatorem hominum: nō ait, Faciam te hominum principem, aut piscatorum dominum. Quanquam neque ita Petro seorsum id dictum est, sed plurali voce, cæteris simul adiunctis, faciam vos piscatores, dixerit. Etsi postea Petro quidem nominatim data sit homines capiundi atque pascendi potestas: at nihilo id magis principem eum constituit, quàm homines ipsos pisces facit aut pecudes. Quod si eo sensu dixisset dominus, quasi ad gerendum imperium vocaretur Petrus, cur non cum principatu hoc vniuersali opes simul ac facultates adiecerat tanto muneris splendore accommodas? O egregium verò principum principem Petrum, cui quum à misero supplicatum esset mendico, non vna suppetebat drachmula, quam ei erogaret. Imò ô verè singularem Dei virum, qui vt nullis vnquam opibus inhiabat in hoc mundo, quas vltrò respuebat, ita nec titulos vnquam singularis eminentiæ affectauit, quos semper contempserat.

Mat. 4.

Luc 5.

Ioann. 21.

Petrus Piscator hominum non princeps hominum statuitur.

Non quod D. Petro summo sine controuersia Apostolo quicquam detractum velimus, hæc eo à nobis deserta sunt, verùm quoniam inanissima

ma nominis illius vmbra ad fucum ac prætextum muniendæ vestræ plenitudinis, totiusq; opprimendæ Ecclesiæ ita abutimini: accuratius ista, non contra illũ, sed contra vos, atque pro illo, eiusque nomine exagitanda existimaui. Qui si ipse hoc loco, hisq; temporibus adesset Petrus, adeò nihil eorum, quæ vos ei tribuitis agnosceret, vt multò etiam asperius inflammata illius in vos incandesceret oratio, quàm in Symonem olim Magum. Quem quum ille vsque adeò cum sua pecunia & mercimoniis est detestatus, tum nihilò minore certè stomacho iisdem in te verbis detonaret: pecunia tua sit tecum in perditionem. Quid enim censes? An ille vnquam regalia ista sancti Petri approbaret? An vtrumque gladium ille ciuilis & ecclesiasticæ gubernationis, aut plenitudinem magisterii in manus susciperet? An supremum in clero tribunal posceret ille, aut tantum vnquam sumeret sibi, ac si errare nunquam posset, quasique omnis thesaurus sapientiæ atq; intelligentiæ in ipso, tanquam in scrinio inueniretur, nec vsquam spiritus certam constantemq; sibi sedẽ figeret, nisi in illius pectore? An ille regem se regum, sacerdotum principem, ecclesiæ caput dici atque adorari vnquam sustineret? Ceruices ne ille suas atque supercilium eò vnquam erigeret, vt ceruices imperatorias tam superbè cum Alexandro tertio calcaneo premeret? vt reges ac satrapas ad manuum pedúmque oscula vocaret? vt potiorem se omnibus conciliis, vniuersis ecclesiis, totoq; populo Christiano

Act. 8.

Alexander 3.

Extra. de electi. & electi potest.

H

ano iactitaret? An ausus ille vnquam cum Hostiensi & decretariis, affirmare Dei & Papæ idem esse consistorium exceptoque solo peccato, posse pontificem cuncta quasi facere, quæ potest Deus?

Quid an cupiditatis oculos ita vnquam ille adiiceret ad opes, per fas nefasq; persequendas, ad census, honores & patrimonia, ad satellitia, ad strepitum huius vitæ, ad mundi fastũ & ampullas, mitras, cruces, columnas, galeros, tiaras pallia, gemmas, quemadmodum isti factitant ter, mitrati pontifices? Quid si mitissimus ille, inquã, Christi discipulus Petrus Paulusq; eiconiunct adesset, qui toties nos suis in literis ad principum obedientiam instituunt, an vnquam vel cum Hadriano imperatores per se regnare, aut cum Clemente quinto in Concilio Viennensi, omne ius regum à se pendere dictitarent? aut tantum vnquam permitterent sibi, vt quum se priuilegiis & immunitatibus è ciuili foro & gladio astutè exemissent, ipsis postea regibus & monarchis superbissimè insultarent, quasique pro mancipiis abuterentur, quos pro Papali sua potestate consecrarent, deponerent, benedicerent, maledicerent, imperarent, impetrarent, remunerarent, punirent, abrogarent, surrogarent, extollerent, deprimerent, pedibus calcarent, & ad inferos præcipitarent? Denique vt infinita prætercam alia, an Petrus vnquam aut Paulus prætextu obedientiæ catholicæ proceres ac populos, reges & subditos, ipsosque inter se principes bellis ferali-

Hadrianus.

bus

bus cõmitterent, & intestinis discordiis rempub. & ecclesiæ pacem seditiosis bullis, bellis, sæuisq; libellis dilacerarent istorum exemplo pontificũ, vt scelestissimo, ita nimium hodie familiari.

Quid enim historias rerum ab his gestarum referam? De Zacharia (qui deiecto Childerico Pipinum suffecerat) de Gregorio septimo, Paschali, Innocentio secundo, Calixto secundo, Alexandro tertio, Celestino tertio: Itemque de cęteris ferè vniuersis, quos nominatim recenseri non est necesse. Quid enim de Innocentio illo tertio dicam, qui legem Incendiariam exurendis hominum corporibus primus lata sententia promulgauit, qui Albingensium centum plus minus millia, collectis militum copijs, adiunctisque duodecim Abbatibus, incredibili furore contrucidauit. Atque ex ijs centum octoginta homines flãmis mandauit, non quòd à Christo desciuissent, sed quòd ad Romanam solùm ecclesiã se reuocari minimè paterentur. Quid rursus, quum in principem suum, Barbarossæ filium, nefaria rebellione, sic efferebatur, vt aut ei se Diadema regiũ, aut eum sibi pontificium detracturum minaretur: postq; ne verbis deesset fides, Othonem Saxonem ad vim ei inferendam euocauit: vnde quę quantaq; bella redundarunt, quæ cædes, quæ terræ hominumq; Christianorũ vastitas sit consequuta, non hîc commemoro. Illud affirmo. Nunquam, Innocenti, à D. Petro tantam hanc grassãdi rabiem & crudeles spiritus hausisti: nec in actis vnquam legisti apostolicis.

Zacharias
Innocentius secundus.
Calixtus 2.
Alexander 3.
Celestinus. 3.
Innocentius 3. eiusq; tyrannis crudelissima.

Nunquam D. Paulus tantam in suum principem rebellionem, si adfuisset, nec in pios maleficia commouisset.

Honorius 3. *Gregorius 9.* *Vrbanus. 4.* Quin nec multò mitiores hi, qui sequebãtur, Honorius tertius, Gregorius nonus, Vrbanus quartus, ne à maiorum vestigiis degenerare viderẽtur, dici vix potest, quantas in imperio turbas consciuerunt aduersus Othonem, & Fridericum & Manfredum. Contra Fridericum, Lantgrauio Turingiæ rege: contra Manfredum, Carolo in belli coniurationem excitato. Post Fridericum habenas suscepit imperii Conradus, quem ana- *Innocẽtius 4.* themate iniustissimo diuexauit Innocentius quartus. Huic deinde veneno Manfredi extincto successit Conradinus filius in regnum Siciliæ & *Clemens. 4.* Sueuiæ. In quã Clemẽs quartus inclementissima efferatus tyrannide Carolum in eius perniciem commouit. Qui infestissimis bellis victum tandem Conradinum pariter cum Friderico Austriæ duce (qui ei in auxilium venerat) missa ad pontificem legatione, quid de his fieri vellet, ex pontificis responso decollauit. Ita enim respõdit pontifex, homo hominum omnium spurcissimus, belluę quàm homini similior: Vita (inquit) Conradini, mors Caroli: Mors Caroli, vita Conradini. Quo factum est, vt vtrique adolescentes generosi & innocentes, vetustissima & nobilissima stirps Sueuiæ & Siciliæ, non regno solùm, sed vita crudelissimè euerterẽtur, totiusq; familiæ reliqua posteritas vniuersa vno eodẽq; pontificiæ malitiæ ictu concideret.

His

His confectis tragediis, Carolus Siciliā occupat, cui, vt scelere quæsita, ita haud diuturna ea constitit tranquillitas. Nam vt Clementis inclementissimi nebulonis, funesta incitatione Carolus, cum armata Gallorum manu ad extinguendam Friderici posteritatem adductus est, ita rursus Hadrianus & Nicolaus tertius contra Gallos subagitarunt Germanos & Hispanos cum Petro Arragonensium rege. Vnde res eo deducta est, vt profligato Carolo, captoque eius filio, Francorum, qui Siciliam tum tenebant, supra octo millia ad Campanæ pulsum vno impetu miserandum in modum trucidarentur, ita vt nec sexui, nec ætati parceretur.

Galli in Sicilia ad pulsum campanæ ad vnum omnes deleti.

Quin neque adhuc conquiescunt ἀλάστορες hi Romanenses. Martinus quartus iterum partes Caroli reficit, Philippum Galliarum regem in auxiliū euocat, aduersus Petrū Arragonen, eius vt inuadat regnum: mandat. Bellicū ipse ad arma capiēda canit, infestis concurritur signis. funesta fit vtrinq; laniena. Vix ann⁹ ab hoc vn⁹ elabitur, quin mortuo Martino Honorius quartus, qui ordine proximo successerat, ad Radulphum mittit Romanorum regē, vt Romam properet, susceptoq; Augusti nomine. Campaniam, Calabriam, Apuliam, & Siciliam, pulsis Gallis & Hispanis, Romæo asserat imperio. Quod nisi matura pontificis illius mors interuenisset, vniuersam Italiam & Germaniam horrenda hominū strage tumultus ille pontificis cruentasset?

Martinus 4.

Honorius 4.

Quid

Quid hîc Nicolaum quartum recenseam? qui ne nihil æderet suis indignum maioribus, vnum hoc ad pontificii nominis dedecus, & memoriam suæ improbitatis adiecit, quòd Comitem Tyrolium, iniquissimis modis diuexatum diris prosecutus est, non alia adductus causa, quàm quod possessione sua, quam Tridentinus Episcopus præter ius & fas sibi vendicabat, discedere noluisset.

Sed nescio, an ex tota hac colluuie eorũ, qui præcesserunt quisquam existat, qui Bonifacium octauum superbia & malitia precedere videatur. Quem vsque adeò supra omnem humanũ modũ prodigiosa efferauit audacia, vt Philippo Francorũ regi legatum cũ bullis superbissimis mittẽs, ei pro autoritate apostolica mandaret, vt sedi apostolicæ regnum Galliæ, resignaret. Quid superbius, vel ab iniquissimo orbis prædone postulari? quid insanius à viro quàm maximè furioso? quid vel ipso Turcarum Imperatore dignius? certè viro Apostolico nihil indignius fieri aut fingi potuit. Quæso ego te per sanctum Petrum, per sanctum Paulum, pontifex Romane, an Petrus apostolus vitam sic vnquam instituit, aut si nunc viueret, id vnquam cõmitteret, quod Clementẽ 5. nõ puduit: qui quũ bellũ atrocissimum conseruisset inter Imperatorẽ Hẽricũ 5. & Robertũ Apuliæ regẽ, reducta mox sentẽtia partes regias contra Imperatorem sequutus est? Porrò aut sic ille vnquam cum pontifice huic proximo insaniisset, vt ædita bulla patrem se ac

Bonifacius 8.

Clemens 5.

principem orbis Christiani, Dei summũ legatũ iactitaret, penes quem sit summa potestas, & imperium maximum, cuiq; regna & Imperia in beneficium, cui libeat, conferre liceat, quemadmodũ de Ioanne 22. refertur. Qui sub calcẽ bullæ suę Ludouico mandat Imperatori, vt intra tres mẽses sese Imperio abdicet, nominique regio: nec posthac nisi iussu mandatoq; suo dignitatẽ resumat? Quod ni faciat, procerib⁹ politicis simul & ecclesiasticis omnibus imperat, vt principẽ suum deserãt, adigãtq; sub iugũ apostolicæ obediẽtię. *Ioannes 22.*

Vix vnquam hæc finienda mihi videtur narratio, si quæ possem ex historiis omnia, si Vrbani sexti, Clementis, Martini quinti, Pii secũdi, Sixti quarti, Iulii secundi, Pauli tertii, & cõsimilium, quos innumeros prætereo, res crudelissimè gestas, schismata, tumultus, coniurationes, diras cõtra reges & Imperatores rebelliones, cædes, incendia, vastationes, bellorum motus, gentiũ calamitates, molesta non minus quàm prolixa cõmemoratione prosequerer. Sed mitto hęc omnia in aliud tempus dilatanda, quibus pro infinita rerũ varietate explicandis, haud scio an tempus vllum, aut oratio cuiusquam sufficerit. Quod enim vsquã, annis his multis, in orbe Christiano malũ, quę pestis, aut flãma regnis ac monarchiis iniecta iam diu, cui præclarus hic Petri successor nõ aut facem admouerit, vel etiam prætulerit? Quod scelus, cedò, à sede hac vestra (Rom. pontifex) quæ à voluntate iniquitas, quæ pernices à Cõciliis, quæ crudelitas à iuditiis vestris abfuit? *Vrbanus 6.* *Clemens.* *Martin. 4.* *Pius 2.* *Sixtus 4.* *Iulius 2.* *Paulus 3.*

Quot

Quot hominum innocẽtissimorum neces, quot Martyrum funera, & fratrum parricidia infamiæ infixa vestræ inhærent & condemnationi? vt interim alia occultiora infādę nequitię dedecora ne commemorem, quæ pro verecundia lubentius sileri patior. O Sanctum scilicet ter, & amplius Petri Apostoli successorem?

Imò ô diram & duram frontis nimium perfrictæ impudentiam, ô proiectam & profligatam hominis perditissimi audaciam? Quid, tu mihi vllo modo Petri, tu Pauli, tu Christi, aut cuiusquam Apostolorum, seu Ecclesiæ Catholicæ mentionem facis? Cuius non vita modò, sed vniuersa penè Doctrinæ ratio à Petri, Paulíque institutis dissidet, qui iura Euangelij conuellere, qui Christi disciplinam commutare, Christianorum pacem, ecclesiæ libertatem dissipare, vitámque bonorum, errorum labe inficere omni conatu satagis? Nam quid volunt aliud, quò tendunt tot tua hæc in templis simulachrorum idola, tot in cœlo aduocati, in cultu, in inuocatione tot Blasphemiæ, in Missis sacrificia, in sacramẽtis sacrilegia, in iudicijs crudelitas, in decretis impietas, nisi vt omnem nobis in cœlis salutem, in terris tranquillitatem præcludas? Et tamen post hæc omnia cum istis factis & moribus, tu Christum verbo semel vsurpare, quem tota vitæ ratione sic persequeris: clauésque ipsius cæteris præreptas tibi vnicè, ac vices asserere vt audeas? At quid ita tandem ô præclare? An quia in sellula illa ociosus desides,

in

in qua sede olim sedebat Petrus?

Lepidum profectò & scitum impostur æ genus, quasi quicquam ad rem faciat, quo quisque loco sedeat, dummodo in Christo sedeat, hoc est dum recta doceat. Aut quasi quod in externis politijs ius gentium obtinuit, vt rex regi, vt quisque est genere proximus, succedat ad imperandum: idem in Ecclesiasticis cathedris consimili successionis ordine sit retinendum. Non dignitas, inquit ille, nec sanctorum locus episcopum facit, sed vita. Nec omnis, qui dicit pax vobis, quasi columba est audiendus. Verę pietati & fidei promissa est Dei gratia: non cathedræ & successioni. Neque enim cathedræ ecclesiam constituunt, sed sequuntur ecclesiam. In qua non quàm interrupta, sed quàm incorrupta sit successio, spectandum est. Non enim cathedra vt docet Chrysostomus facit sacerdodē, sed sacerdos cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum sanctificat. Qui benè sederit super cathedrā, honorē accipit cathedrę: qui malè sederit, iniuriam facit cathedræ, &c. Rursúsque Hieronymus in eandem ferè sententiam. Non sanctorum, inquit, filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Proinde nimium ridenda eorum ineptia est, qui sicut in humanis politijs: itidem & in spirituali regno Christi, ad carnalem externę successionis necessitatem, ecclesiam Dei tanquam humanis vinculis illigāt: sicque ad vnam Petri sedem omnia reuocant, vt qui in hac non sedeat, quamlibet

Successio papalis excutitur & consutatur.

2.q.7.Omnes

Dist.40.

Hieronymus ad Heliodorum.

bet alioqui Pius pastor Petri successor esse nullo modo poterit: qui hāc verò teneat, quantumuis moribus flagitiosus, totaq; vitæ raõe Petro dissimilis, verus tamē pōtifex existat, sūmus ecclesiæ Colophon, purus putus Petri successor, queādmodum Senatus consulto Constātiensi definitū accepimus. Quo quid stultius dici possit aut insanius? Quasi diuina mens, cuius liberrima sit sēperq; fuit agendi conditio, humana vlla ordinatione, aut locorū finibus circumscripta astringi queat: quippe quæ perrupto sæpè, & inuerso rerū ordine, præter oēm spē, voluntatēq; humanæ institutionis, præpostero quodā modo, ac ordine (in his præsertim quæ diuina sunt) res dispensat suas, nō ex præscriptione hominū, sed pro suo arbitratu. Sic olim ille repudiato Cayn, Ismaël, & Esau, alijsq;, ad quos iure successionis ordinariæ sacerdotiū pertinebat, & seminis promissio, elegit Abel, Isaac, Iacob, quibus successio ordinariā minimè debebatur. Sic reiecta Sauli posteritate, in Dauidis familiā ius regni transtulit. Cōsimilē in modū reprobata Synagoga, gentes cōtra ordinē κατὰ φύσιν ἀγριελαίους in ordinē adsciuerat. Et vos nunc vni loco, vni Cathedræ gratiam Christi latissimè patentē, ceu intra parietes constrictā ita deuincietis, vt quū cæteræ sedes errare omnes possint, sola Romana non possit, sicq; ea Romanū solum vicariū sua imbuat plenitudine, quā nullis præterea pastoribus, quātumuis sanctis Christi cultoribus sit cōcessura. Atquî si tanti ponderis apud Deum existat ad obtinendā

Concil. Constantiense.

Liberrima Dei dispensatio in rebus agendis.

Ordinaria successio apud Deum haud quicquā

gratiam

gratiam, ordinaria hæc diuturnę successionis antiquitas, iam olim Manasses successit Dauidi, Caiphas Aaroni. Certe Iudæi longe antiquiores ab Abrahamo genelogias, quã vos à Petro, easq; continua serie irruptas numerabant. Quin nec Iudæis ipsis hoc idem defuit argumentum, cõtra Christum vociferantibus, Semen Abrahæ sumus, pater noster Abraham est. At quid illis ex aduerso respondit scriptura? potens est Deus de lapidib' istis suscitare filios Abrahæ, quos & suscitauit. Atq; an non æquè nunc potens est Deus Petri successores, quos iubet, & vbicunq; iubet exuscitare? Nec dubium quin & exuscitat. *Ioh.9.* *Matt.3.* *Luce.3.*

Quid autem inquiunt? An non sederunt in Cathedra Moysi Scribæ & Pharisæi, quos audire iubet Christus? Iubet, sed recta docentes, nec propter cathedram iubet, sed propter doctrinam. Deinde cur ab ijsdem Scribis, & Pharisæis, Christus & Apostoli discesserunt, si errare non posset successio? Quid quod, Christus ipse, quũ non haberet ante se continuum sacerdotum ordinem, hoc eodem argumento reiectus ab ordinarijs Sacerdotibus, non erat audiendus, si modo Romani nunc audiendi sunt isti, de sua successione gloriantes. Age, & quid tum Apostolis dicendum, qui nullo successionis iure, nec ordine ecclesias Christi primum plantarunt, & ab ordinarijs sacerdotibus refugerunt? Postremò si tanta in eo vis sit, quo quisq; loco resideat, pluris esse arbitror templum Dei, quã Petri solium. Et tamen in hoc ipso Dei templo consessurus *Matth.23.*

Antichristus in Scriptura fertur prophetica, an ideo propter sedem ſactam ſanctus dicetur Antichriſtus? Quid multis, quantulum id retulerit, quas ſedes aut origines teneat eccleſia, modò Chriſti ſpiritum, verbum, & ſacramenta teneat, quibus gignitur & ſanctificatur.

Iaco. 1.
Ephe. 5.

At docuit, inquis, Romæ Petrus. Audio, at nuſquam niſi Romæ docebat ille? Deinde vt fateamur Romæ eum docuiſſe: An vt Apoſtolus illic docebat, an vt Epiſcopus? Romanus reſpondeat Epiſcopus. Illud certè extra omnem controuerſiam, ſiquando Romæ docebat Petrus ſiue ſtans, ſiue in Cathedra ſedens, ſemper docuit ille Chriſtum. Tu ex iſta Cathedra Romæ quid doces, niſi doctrinam Dæmoniorum? Ille clariſſima Dei eloquia, quæ diuino hauſerat afflatu, hominibus ebuccinabat, teſtis eorum quæ viderat, & quæ audierat: tu quid orbi propinas aliud, niſi futiles ceremonias & traditiones hominum? Ille ſiquando Romam adierat, non niſi aut à deo miſſus, aut ab hominibus accerſitus acceſſit, ſicque acceſſit, vt ad miniſterium, non ad magiſterium, ad opus non ad opes, ad proficiſcendum, non ad ſedendum. Te verò ad hanc Monarchiam ſellulariam quis vnquam vocauit? Ite, inquit Dominus, non in vrbem Romam, ſed in orbem vniuerſum, non vni Petro, ſed omnibus, & prædicate, non legales ceremonias, non inſtituta hominum, ſed Euangelium ſalutis; non Romanis ſolum, ſed vniuerſæ creaturæ,

Nulla ſimilitudo Petri & Papæ.

Sellularia Monarchia Roman. pontificis.

In qua legatione œcumenica, Petrus cum cæteris pariter τοῖς συνεργοῖς καὶ συλλειτουργοῖς pro ſede ſua & officio, haud inſtrenuam nauauit operã Euangelio, nihil ad ſummam remittens diligentiam, quin peragratis populis, ac nationibus, doceret quos poſſet, non tantum publicè, ſed etiam priuatim per ſingulas domos: inſtaret opportunè, importunè, longè lateque nuncium pacis lætiſsimum diſſeminaret, opus faceret Euangeliſtæ, impleret miniſterium Chriſti, ſpeculatorem ageret domus Iſraël, acciperet oracula & voces Dei, & quas accepiſſet, fideliter in plebem refunderet, ſalem terræ, mundi lucem ſe oſtenderet: non ſeipſum paſcens ſed gregem: nõ quæ ſua eſſent quærẽs, ſed quæ Chriſti: nõ implicans ſe ciuilibus negotiis huius vitæ, ſed Domino ſeruiens, non exercens dominium in ſeruos Dei, nec id quærens, vt ſibi ab aliis miniſtraretur, ſed vt ipſe Dom. ſui exemplo aliis miniſtraret, minimè ſe ſuperiorem cæteris, ſed quoſcumq; Epiſcopos æquales ſuos agnoſceret, & nomine συμπρεσβυτέρων nuncupans: ſubditum ſe principibus, tanquam à Deo miſsis exhibens: reddens, quæ Cæſaris ſunt, Cæſari, quem nec Domini etiã ſui appellatione dedignabatur.

Sic Petrus, ni fallor, vitam inſtituit ſuam, qua vt nihil laborioſius, ita nihil erat in mundo humilius. Ad hanc idæam, ſi Papas nunc ſpectem⁹, quæſo quid ipſi agunt Romæ, in quo non ſolùm Petro non ſuccedere, ſed multò magis ab eo ſecedere videantur? Apud Eſaiam admiramur pe-

Antipathia inter Papam & Petrum.

Esa. 52. des apostolorum super montes concionantiũ, &
" prædicantium pacem, annunciantium bonũ, præ-
" dicantium salutem. Et isti in quas terras, in quas
gentes vt nubes volitant? quam pacẽ annunciant?
imò extingunt pacem, quid boni adportãt? imò
quid non malorum excitant? quid docent saluti-
ferum? Euangelium nè Christi? imò Euangeli-
um supprimunt, claues sibi vendicant: at quibus
claudunt, non aperiunt regnum cœlorum, tot
tantosq; ecclesiæ thesauros obtendunt, tanquam
soli cælestis ærarii custodes. Et quid tandem ex
his thesauris depromunt isti quæstores, quod sa-
num sit & salutiferum? nempe pro thesauro car-
bones: pro gratia diuina, paparias indulgentias:
pro Christi sanguine, fictitias sanctorum reli-
quias. Petrus vna concione ter mille animas
Christo lucrifecit. Isti quo pacto sua exercent
talenta? quid lucri adferunt? Imò quid dam-
ni potius? Haud temerè destomachatur Is-
raëliticus quidam propheta in pastores, qui se-
ipsos, non greges pascerent: qui lacte & carni-
bus saginati, & lanis vestiti, de grege nihil habe-
Ezechiel. 34. rent pensi: quod infirmum erat non consolida-
" rent: quod ægrum non sanarent: quod cõfractum
" non reficerent: quod abiectum non reduxerant:
" quod perditum non quæsierant, sed cum austeri-
" tate imperabant eis, & cum potentia.

Ad eundem modum isti, quid aliud quàm
sese pascunt suauiter, de grege interim nihil
solliciti. Nullus pilo eorum cura melior, nemo
sanior, haud quisquam ad regnum Dei doctior.

Nihil

Nihil docent, nec recta docentes ferunt: verbum Dei condunt, non promunt, laboris nihil subeunt, tantum κωφὰ πρόσωπα domi desident, suoque in Laterano latitant, omnia spatia purgatorii, & suppliciorum genera velut decempedale dimetientes, vbi animas miseras, alias in cruciatus immergunt, alias mercede eximunt, missas priuatas, quæ in omnibus agantur angulis præscribunt, sacra mysteria submissa voce & aliena lingua mussitant, Eucharistiam populo non sumendam, sed adorandam attollunt: eamque ante se, si qua aguntur spectacula, in Asturcone gradario cum luminibus & tintinabulis circumgestant: oleum, ceram, salem & aquam, campanas, calices, altaria sacris digitis consecrant, iubilæa, gratias, immunitates, expectationes, præuentiones, annatas, pallia, bullas, indulgentias, diplomata precio prostituunt.

Quid, an satis hoc putant esse ad vices Christi gerendas, aut ad apostolicam in terris successionem constituendam, vt miser vnus aliquis senecio, non ob fidei aut virtutis excellentiam aliquam singularem, qua cæteris præpolleat, verum propter loci tantum atque cathedræ, cui insideat, inanissimum titulum, qui vt viro præclaro, ita & stolidissimo cuique possit contingere, vniuersam propterea ecclesiam Dei suæ asserat potestati? In qua summũ se pontificem, Episcopum Episcoporum, caputque totius vniuersitatis præseferat?

In

In qua omnia sibi licere putet, quę libeat? In quá ipse se euoluens ex omni aliorum potestate, iura regibus ac gentibus præscribat, bellis ac discordiis nationes committat, autoritatem plusquam prætoriam in omnes ecclesias exerceat, velutque rex tragicus ipse in aurata sella, corona Lemniscata, apparatu Persico, regali sceptro, gemino ense, aureo diademate, lucentibus gemmis, hominum nobilium ceruicibus inequitet. O Sanctum Petrum, an istud est D. Petro in Apostolatu succedere, aut in cathedra Petri, sine virtutibus Petri sedere, an in cathedra sedere pestilentiæ? Et quid si Turca eandem cathedram pontifici ereptam sibi assumeret, an loci dignitas protinus eum Petri successorem constitueret? aut quid si pontifex ipse, vt Petri nunc sedem tenet, ita scapham Petri teneret piscatoriam, an felicior propterea piscator euaderet, ob scapham Petri?

Non locus, sed virtus facit Apostolicum.

In qua haud dissimile quiddam mihi videtur accidere pontifici, atque Neantho olim Pittaci filio, apud Lucianum. Qui nactus aliquando Orphei cytharam, ὄνος, quod aiunt, πρὸς λύρας insana mẽtis opinione persuasit sibi futurũ ilico, vt ad auditũ citharæ strepitum, rupes syluasque sequẽtes secum raperet. Oberrans itaq; per rura, & vicos corybanticus citharædus, miransq; saxa, & syluas adhuc stare, quæ ad pulsum citharæ nõ sequerentur, tam diu pulsandi, strependi, tundẽdi finem non fecit, quoad à canibus longo & incondito sonitu defatigatis discerperetur. Et quid aliud nobis repræsentat cum sua hac cathedra

Lucian. πρὸς ἀπαίδευτον, &c.

dra Romanus pontifex, qua non minori iste insania gloriatur, quàm ille sua testudine. Quid ni enim Orphei testudo perinde citharædum perficiat, atque Petri sedes sanctum Antistitem, si præter externam sedem nihil spectemus aliud.

Series Episcoporum succedentiũ in ecclesia nullum parit erroris patrocinium.

Cæterùm hîc rursus profertur longa & irrupta Episcoporum series, qua originẽ successionis suæ inde ab apostolis ipsis petunt. Proferũtur ex Doctorib⁹ Tertul. Ireneus, August. qui ecclesiasticæ successioni nõnihil alicubi tribuũt. Tribuunt illi quidem, fateor, sed quomodo? sed quo tẽpore? Ad confirmandã videlicet scripturarum antiquitatẽ, contra eos depugnãtes, qui eas prorsus negabãt, tum quo tempore expendam⁹. Quãdo nimirum cum successione Episcoporum ipsa similiter pietatis, virtutis, & religionis antiquitas, doctrinæq; sinceritas retinebatur, quumque adhuc nihil edoceret Rom. sedes, quod non consentaneũ esset susceptæ in ecclesiis doctrinæ catholicæ: tã diu nihil his causæ præbebatur, cur acrius in sedẽ illã, quã audiebant à Petro deductã, ab illis disquireretur: præsertim quum autoritatẽ illã iuuare nõnihil. Ad sedãda schismata aduerterẽt. Verũ si eas nũc hæreses, & mõstra errorũ & zizaniorum, quæ passim profundit nobis hæc sedes, audiret Augustin. cæterique cum eo pii Doctores, longè aliã de sedis illi⁹ fastu & intollerãda ambitione sententiam induerẽt: nec min⁹ quàm pii nunc ministri, toto spiritu in eam insurgerẽt. Quanquã quod ad seriẽ etiã illam attinet successionis, quam illi nunquam interruptã iactitant,

Series Rom. pontificũ intercisa & perrupta.

qua frõte id affirmãt, Romani põt. post tot annorum schismata, tam crebras Episcoporum cõcertationes de sede inter se depugnantiũ, vbi tres, vt plurimum duo, tanquam vni⁹ sponsę riuales soliũ occuparunt: vt pro vero successore quẽ reciperẽt, haud facilè sciri potuerit. Vt interim illos taceã, qui fraude, pecunia, vi, ac cæde, qui pręstigiis, necromantiis, & funestis artib⁹ nõ irrepserunt, sed irruerũt in eam successionẽ. Vt neq; illud referã, quàm fœdam acceperit interruptionẽ cathedra hæc, insidente non Ioanne successore, sed Ioanna meretricula Babylonica, cuius nunc successores se fateantur necessariò oportet, si modo tanti rem momenti esse præcedentium ad subsequentiũ ordinem arbitrantur. Sed de Petro, eiusq; successione iam satis, quem etsi concedamus Romæ Episcopatum gessisse, quod falsissimum est, quid hoc ad Romanum nunc Episcopum? At Petro, dices cõmendauit Christus ouiculas suas. Verũ quidẽ, quas pasceret ille, non quas mactaret, tu verò mactas, non pascis oues Christi: & vicarius Christi, Petri successor videri postulas? putasq; te fatuos huiusmodi, in hac tanta literarũ & Euangelicæ cognitionis luce reperturum, quibus hoc persuadeas? posseq; te oculos hominum inanissima hac titulorũ tẽdicula, diutius perstringere arbitraris? Quod si existimes, erras nimũi Pont. si tamen errare Roman⁹ possit põt. At ego nõ errare te, si ista non vides, sed delirare prorsus dixerim. Quid enim, an patere consilia tua iam nõ sentis? fraudes, imposturas, molitiones, rapinas, mendacia, turpitudines, glorias, fucos, fumos, errores, blasphæ-

mias,

mias, ampullas in oculis omnium versati nõ intelligis? constrictam omnium hominũ cõscientia teneri coniuratam contra Euangeliũ Christi malitiam tuam non perspicis? vt interim quotidianas tuas cædes, tum inueteratas, tum recentes ne subagitem, quibus ne adhuc quidem expleri insedabilis lanienæ tuæ tyrannis posse videtur. Hæc tam per se aperta qui non oculis videat, hunc ego non oculis, sed mente captum: qui etiam non exhorreat, non à ciuili eum consuetudine hominũ, sed à diuina prorsus pietate se iunctum deputem. Notiora sunt cunctis linguis ac populis technemata tua, quàm vt dissimulari: grauiora, quàm vt ferri queant. Patent mihi crede, patent (põtifex) luce clariora, nõ oculis solùm, sed sannis & fabulis hominum bene iam diu celata, adulterina ista cornuca, quib' lupũ immanẽ, sub agni simulatione hactenus cõtexisti, vt nemo tam bliteus sit, qui non cernat, nemo tam bardus qui non rideat.

Atqui olim fortasis tum, quum nebulosa illa veteris inscitiæ caligo mentes obduceret hominum: quum nondum in lucem emitteretur sanctissima illa, tibiq; funestissima literas politiores cudendi, & legendi facultas, locus esse aliquis tẽpusq; tegendis tuis tenebris potuit. Nũc verò exorta hac tandẽ lucidissima veritatis aurora, qua oculos hominum, mirabili Dei beneficio, perfundi, atq; ingenia illustrari conspicis, quũ nihil sit, quod agat amplius hisce in regionibus fuliginosa hęc errorum tuorum, & tenebratũ cœcitas, quid iam tibi restat aliud, cũ putidis & obsoletis

Doctrina ac veritatis lux restituta.

istis insulsissimæ Barbariæ, simulque impurissimæ superstitionis quisquiliis, nisi vt fatis & temporibus cædas felicioribus. Siq; veritate ipsa victus mentem mutare induci nequeas, at pudore saltem locum mutes, & mandes te fugæ in solitudinem aliquam, illucq; concedas, in insulas illorum nouas & incognitas, qui personatas istas Romanensium fictiones, & ludos histrionicos nondum experti didicerunt. Nos siquidem moribus iam tuis καὶ πανουργίαις plus satis assuefacti, fallere diutius non potes. Vis corporibus fortè adferri Christianorum possit: animis certè ita nunc euulsus videtur Romanus ὁ πλάνος, cum pseudouicaria sede, vt nulla sit vnquam restituendi spes, vt ne posthac falsissima securitatis opinione, frustra ipse tibi blandiaris Romane pater. Inuersam mundi nunc scenam intelligis. Inualescentem contra te Euangelicæ vocis tubam vides. Occultari diutius fraudes tuæ, doctrinæ errores, hypocrisis, rabies, insania non possunt. Incipit Christianorum vulgus aperire iam oculos ad aspiciendam diuinæ veritatis lucem. Aliter nunc institutus est populus Dei, atq; olim, cum omnia pontificum Romanorũ dictata pro Euangelio haberentur, cumque non à verbo Dei, sed ipsorum autoritate summa penderet religionis. Nunc verò quis tam nullo ingenio, tam stipes est, qui in religione errores tuos, in morib⁹ truculentiã, in vita superbiã nõ perspicit? Quis vnquã perspicere poterit, qui nõ toto detestetur pectore? Atq; in eo rectè quidem res habet,

quando

quando cũ tali religione talis vita, mutua velut societate congreditur. Talis enim est religio, qua nihil superstitiosius, nihil à Christo disiunctius: talis vita, vt nihil Christianorum tranquillitati funestius existat.

Quamobrem quum scelerum tuorum labe conflatum adeò in te odium bonorum penè omnium agnoscas, ac iustissimè iam diu debitũ, quid aliud vis tibi consulam, nisi quod ante dixeram, vt horum alterum necessariò tecum statuas, vel vt regionem in qua verseris, aut religionem, quam sceleratè polluisti, mutandam tibi ac relinquẽdam putes. Quorum tamen quum neutrum te facturum sciam, cumque te esse videam, quem neque pudor hominum in officio, neque dei timor intra metas continere, nec pietas vlla à crudelitate ad mansuetudinem reuocare poterit pergas itaque per me licebit, quantum & quandiu voles in suscepto cursu. Sino te in lætitia temulentæ fortunæ qua frueris, & in furore, quo exultas, insanire suauiter. Neque me commouent quicquàm sæua tua diplomata, & homicidæ execrationes, quas cæco impetu subinde stringis in honestissimas Christi ecclesias. Nec valde perterrẽt criminationes me tuæ, nõ minus falsę, quàm virulentæ, nõ fædissimæ perbacchationes, nec dicendæ contumeliæ, quibus cum alios sæpè complures, tum nuper serenissimam imprimis lectissimamque Britannię Reginam, tum inclitum eius Regnum nobilissimamque patriam canino rictu vellicas.

Bullæ pontificis contra fideles Christi cultores.

Coutumelia pontificis contra Reginam Anglia.

Reginæ Elizabethæ ad Papā oratio.

Quas ego ignominiæ notas nobis per te inustas (vt iam non meis, sed Reginæ verbis dicta hæc tibi accipias, neq; me nunc loquentem tibi, sed Reginam ipsam per se disserentē cogites) si ab alio, præterquā à Romano hoc Antichristo accepissē, accuratiore mihi in hac defensione vtēdū oratione iudicarem. Nunc quid mihi ad verā laudem excellentius, quid ad sempiternam gloriam cedere potuit cumulatius, quàm abs te vno omnium grauissimo Christi aduersario sic infestari? Cui amicus esse, qui non sit tibi inimicus, nec aliter quisquam illi charus esse, nisi qui te sibi aduersarium habeat, nemo poterit. Quo impensius summo ac sempiterno numini permaximæ à me habentur gratiæ, quam tanto hoc dignari honore voluerit. Quid ni enim honorari me in eo putem maximè, vnà cum cæteris pijs, & amicis Dei sanctis, quando non tam mea priuatim causa, quàm Christi, eiusque doctrinæ nomine, quam profiteor, ita in me sæuit hic Sebah, hæcq; mihi imponitur persequutio. In quo persequutionis genere, quū duo incidūt omnibꝰ piè Christianis spectanda, nō solùm quid infligitur ipsis iniuriæ: sed etiam à quibus & qua causa patiantur, tum quoties ad posterius hoc respicio, non parum me recreat, aduersus maledictiones tuas beata Euangelij vox: Beati, inquit, qui persequūtionē patiūtur propter iustitiā, & quum maledixerint vobis homines, dixerintq; omne malum aduersus vos, mētientes propter me. Quod quum ipse nūc pertentare contra me decreueris,

Math. 5.

nullum

nullum mihi euidentius ad veram consolationē, omniumq́; bene sperandi fiduciam aperire signū potuisti, quàm ex hac ipsa concepta animi erga me malitia, quæ summam mihi Christi beneuolentis fauentisq́; spem pollicetur. Quòd si apud laudatissimos Reges, regiū illud iudicatur, male audire, quum benefeceris, nec vlla laus verior, quā ab improbis vituperari: tum verò ab improbissimo Antichristi ore conscindi, non ego Regium istud, sed Imperatòrium esse interpretor, quodq́; ego non in minima felicitatis meæ parte adnumero.

Age itaq;, quandoquidem nihil te pudet (pōtifex) pro veteri more tuo, Reges & Reginas maledictis sic conspuere, quid tandem istud piaculi sit, quod tam atrociter mihi impingis, scire abs te liceat. Seruam, vt audio, me dicis flagitiorum, regnum meum Hæreticorum asylum traducis. Papæ, quod nouum hoc & inauditum impudentiæ genus? Itanè de moribus flagitiosis quenquā vt appellare audeat Babylonæa meretrix? Quæ quum omnia expuerit in alios maledicta, quæ vel fingere possit mendax ipsius vilis, nunquā tamen mediā eorū partē profunder, quæ in ipsā retorqueri multò tū grauiora, tū veriora queant. Etenim quod vnquam cœnum, quod Barathrum vita hac & curia tua (pontifex) lutulentius? Cæterùm de flagitijs tuis, Deo quomodo respondeas, ipse videris. De mea interim vita, vt nonnihil respondeam, sic paucis accipe. Id primum vt scias, mei neque ingenij, neque moris esse, nec fuisse vnquam, *Meretrix Babylonica.*

vt vir-

vt virtutes velim meas apud Deum iactitare cũ Pharisæis magnificè, quippe quæ neque tantam mihi ipsi arrogo innocentiam. Et tamen neq; ita rursus noxas meas accuso apud homines, vt easdem cùm tuis putem vllo modo comparandas. Cum te autem dico, non vnum hîc aliquem seorsum specto: non Pium quintum, non Gregorium 13. sed vniuersam huiusce sedis atq; ordinis colluuiem simul compræhensam intelligo: quin neq; hanc ipsam tamen sedem Romanam simpliciter, maximè quæ priscis olim purioris Ecclesiæ tẽporibꝰ, multorũ sæpè calculis & encomijs celebrata est, qualẽq; notabat olim Ennianũ carmen. Moribus antiquis res stat Romana virisq;. Sed quàm nunc cernimus à Maiorum vestigijs, à fide, grauitate, religione eò prolapsam, vt veteri illa iãdudum Roma antiquata atq; sepulta; noua quædam vrbs Roma subiisse videatur: tantùm à priori illa diuersa, quantùm illa grauitate, disciplina, veritate: hæc vanitate, luxu, opibus, splendore, ambitione, lænociniis & illecebris huius mundi perdita nullã ferè idæam, & imaginem cùm superioribus illorum institutis, nullam cum Christo coniunctionem, nullam cũ Apostolis affinitatem præ se gerat.

Ennius

In qua quidẽ sede, quam nunc dicimus, haud obscurè se nobis aperit vsitata illa (quam vulgo appellare solent) curiæ Romanæ practica. Neq; enim, quia te verã me talem putat pontifex, qualem verbis prædicat, ideo furit in me ijs conuitijs? neq; si maximè eiusmodi forem, vel pilo

magis

magis ea causa offenderetur. Imò tanto fuissem illi charior, quanto propius vitæ similitudine, ad illius mores accederem. Sed aliud hîc subest occultioris nescio quid mysterij. Quod quoniã nec ipse in Bullis aperit, nec piorum satis intelligit simplicitas, ingenuè aperiam vniuersis. Etenim si more vsitato quorundam principum, consimili studio me compararem, vt me regnumq; meum capistro præberem Romano, fronteque charecterem bestiæ susciperem, nulla obstaret vitæ quantumlibet impuræ labes, quo minus inter Christianissimos illi filios & filias, locum in benedictione apostolica non postremum obtinerem. Nunc quia relictis illius castris, in istas religionis partes me transtuli, in qua Christi gloriæ, quàm glorioso pontifici seruire malim: hinc serua sum, & mancipium flagitiorum, hinc vlcus illud stomachi in me exacerbati. Atque hæc interim hactenus, quæ à serenissima Regina Elizabetha vel dicta esse, vel dici contra te potuisse putes: quæ tamen ab ipsius calamo fusa, multo solidius & splendidius, si causam ipse suã tueri voluisset, prodijssent.

Causa pontificii odii aduersus Reginam Eliz.

Nunc ad regni ipsius publicam defensionem redeo. Quod tu quidem hæreticorum regnum ore maledico nominas, mirum quendam nobis Phormionẽ ex veteri comœdia repræsentans. Qui quum solus esset scenæ totius turbator, atq; in iuditiũ rapiẽdus, vltrò ipse accusatũ aduenit; Ita haud multum dissimili impudentia, hæreticos istos & profugos clamitat Phormio hic nõ

Regni Britãnici aduersus maledicta pontificis defensio.

L Teren-

Terentianus sed Lateranus. At quid ita obsecro? An quia à Christo profugerunt vnquam, aut fidem illius reiecerint? Non, sed sacram ecclesiæ stationem, in qua fuerunt constituti, deseruerũt, Quid ergo? An nulla erit ecclesia, nisi quæ Romæ existat? Qui Christo inhærent capiti, an extra corpus ipsius censendi sunt? Quid an pluris id est in pontifice, quàm in Christo consistere? Non, sed extra pontificem nullam constare Ecclesiam prędicant. Et quæ tum erat ecclesia olim illa in Asia, & Palæstina, priusquam vrbem Romam vidisset Petrus? Et quid si vidisset nunquã, an minus idcirco fuisset ecclesia? An pontifices ecclesiam Christi constituunt, an ecclesia pontifices? verùm extra ecclesiam contendunt salutem esse nullam, Audio, fateorque. At nondum tamen euincitur, sine Romano episcopo, nullam constare ecclesiã. Addo illud, quòd quum extra ecclesiam nullam affirmant reliquam esse salutẽ: id ita accipiendum esse, de ea quidem ecclesia, quæ vera Christi sponsa sit, certamque cum eo coniunctionem habeat. Non quòd salus ita in ecclesia contineatur, ac si ipsa suo munere eam largiatur: sed propter mutuam illam arctissimamq; capitis cum corpore necessitudinem, qua fit, vt quisquis in Christo capite salutis sit particeps, is ab ecclesiæ familia alienus esse non possit: Neque rursus ab hac quisquam desertus esse, nisi prius à Christo principe relinquatur.

An vlla constare possit ecclesia sine Rom. pontifice.

Salus extra ecclesiã quomodo nulla.

Quod quum ita sit, quibus nunc argumentis

Britannos istos à corporis communione proscriptos arguit hic Pseudopetrus, qui Christo capiti sunt per fidem insiti? Aut quo pacto Christi hos esse negabit, qui à fide ipsius recta & catholica minime disiunguntur? Quod si enim nihil à Christo diuellit, nisi pertinax in fide, aut vita rebellio, quid vel in doctrina, aut vita eorum perfidum depræhendent, siue repræhendent Romanenses isti, quod non multo grauiori censura in ipsos refundi poterit? Nēpe inquiunt, quia fidē non amplectuntur catholicam. Age, & quæ tandem fides hæc sit catholica, quam vocant, quando huc isti prouocant, excutiamus. Quod si fides catholica ea sit, quam in symbolo suo describit Athanasius, atque ante eum Nicæni presules, in qua parte demum eius symboli illos defecisse commonstrabis? *Fides catholica.*

At obstrepet hic iterum ex sede ista aliquis: Quia nimirū fidē catholicam hanc nō tuentur cum Romana pariter Ecclesia. Rectè quidem. Ex his proinde perspicio, minimè id esse satis, Christianos & catholicos censeri, nisi qui & Romani sint. Et quid hoc sit Romanum esse, audire à Romanis istis postulo. Quippe vt Romanū credo, pontificem vniuersi agnoscamus, eumq; ipsum vniuersalem episcoporum episcopum, totiusque ecclesiæ catholicæ caput supremum, atque œcumenicum confiteamur, eiusque imperio, & decretis omnibus omnes vbique Christiani de necessitate salutis succumbamus. *Fides Romana.*

Quid ergo ? & qui hanc fidem non retinet, quã-
uis cætera omnia, quæ in Sacris Dei institutis &
Symbolis ecclesiæ congruant, integerrimè tuea-
tur, non erit catholica? Non opinor. Quod si
verum sit, certè nec Alexandrina ecclesia, nec
Antiochena, nec Hierosolymitana, nec Bizãti-
na, neq; Aphricana, nec vetus illa istorũ iam o-
lim Brytannorum in catholicis ponendæ erunt.
Et quid illa tum verba volunt Basilij, vbi in Epi-
Basil. Epist. 78. stolis de ecclesia in hunc modum scribit: Τοὺς
τοιούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλη-
σία quum tamen in illa Græcorum ecclesia, quã
ille catholicam & apostolicam vocat, nondum
Catholica ecclesia apud Græcos extra Rom. ecclesiã eo se dilatasset αὐτὴ ἡ ὑπερεκτεινομένη τοῦ ῥωμαϊκοῦ δυ-
στεία Itaq; ex hoc catholicorũ albo Basili⁹, Atha-
nasius, Nazianzenus, Tertullianus, Augustinus,
Cyprianus, Eusebius, Theodoretus, cæterique
Græcorum & Latinorum celeberrimi Antisti-
tes elidantur necesse est, qui quum omnes se
catholicos esse non dubitarent, haud quisquam
tamen istorum se Romanum fuisse, iuxta hanc
regulam, profitebatur. Quin nec repræhensione
etiam nonnulla eorum carere inscitia videtur,
qui symbola hæc primum nobis efformarunt.
Nam si nulla vel Christiana, vel catholica ec-
clesia dicenda sit, quæ non sit Romana, cur igi-
Sancta, & catholica ecclesia legitur in symbolo, Romana non legitur. tur prisci illi maiores in condendis symbolis,
τὴν πρόσθεσιν hanc Romanæ sedis prætermiserunt:
vt quum credere vnam, sanctam, catholicam, &
Apostolicam ecclesiam iubeamur, non Roma-
nam etiam credere præceperint?

Ex quo vides, pontifex Romane, in quas errorum syrtes, & absurditates, cæco impetu teipsum induxeris. Primum enim si extra ecclesiam, quemadmodum disputas, nulla constat salus, sique ecclesiam certam & catholicam esse nullam, nisi quæ Romana sit, nec Romanam esse aliam statuas, nisi quæ vniuersali pontificis Romæi imperio & decretis contineatur, iam istos non Anglos solùm, extra fores ecclesiæ pellis, aditumque intercludis ad salutem, sed vnâ cum his alios præterea infinitos, superiorum temporum præstantissimos ecclesiastas, Doctores, Patriarchas, simulque cum fidem Romanos ipsos pontifices, quotquot Gregoriana tempora præcesserant, è numero catholicorum exturbas. Sed quid argumētis opus in re tam per se conspicua, & explorata? Certè si Christus in cōstituēda sua ecclesia, nō alio fundamēto pulcherrimā, & sempiternam hanc domicilii sui structurā auspicari atque firmare voluit, quàm Christianæ fidei, & confessionis petra: Sique Paulus in hac ipsa diuinitus insita nobis fide, & confessione filii Dei, certam statuere salutem non dubitat: quo tandem iure ab ecclesia catholica, & apostolica excludentur ii, qui eandem Christi fidem, cum Apostolis, & catholicis cathedris profitentur?

Fides sola & doctrina Christi nos ecclesiæ conglutinat.

At negat, opinor, pontifex ad fidem ac salutem satis id esse, vt in Christum credatur, cúmque caput in cœlis vnicum veneremur: nisi & Romanorum simul Episcopum caput in terris

vniuersale, nosque vniuersos huiusce capitis membra profiteamur. Quod si ita sit, vt Christi fides ad salutem minus sufficiat credentibus, nisi cum illius numine, gloria pariter pontificis admisceatur: quid rectius conueniet, quàm vt tria hîc faciamus tabernacula, vnum Christo, alterum pontifici, tertium, si placet, Cardinalibus. Postremò subiit interim & illud admirari, cur non eadem necessitate postulat hic pontifex, si modo fides hæc, quam Christo dedimus in Baptismo, parum valeat, vt nos ecclesiæ catholicæ membra adiungat, retineatque, nisi obedientia insuper accedat Romani pontificis ad fidei necessitatem: quin corrigamus igitur Baptismi verba, vt qui tingatur in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, quo plenior fiat Baptismus, in nomine insuper sanctissimi domini nostri Papæ immergantur. Sin id autem, quod res est, negari non posit, minimè nos fuisse vnquam ipsius nomine in ecclesiæ consortium intromissos: nec quicquam proinde defuisse nobis per Baptismũ renouatis, quo minus Christi eiusque corporis participes efficiamur: qua fronte os istud mendax & impudens pro hæreticis, Christi seruos damnat? ecclesiæ nos desertores clamitat? reges & reginas hæreticorum fautrices criminatur? Imò qua ratione aut scriptura ipse se tuebitur, quo minus apertè omnes intelligant hunc eum esse, quem D. Paulus ad Thessal. scribens clarissimo vaticinio venturum præmonuerat, qui sedens in templo Dei, non vt ministrum Christi

Tria Tabernacula.

2. Thessal. 2.

ſe gereret, ſed oſtentaret ſeipſum tanquam ſit Deus. Quæ verba quum ita in eum aptiſſima notatione congruant, vt neminem poſſe alium deſignare videantur: ipſe prius quo pacto ſe purget apud Deum videat, quàm alios accuſet apud homines. Sed ad hanc diſceptationem aliud dabitur, donante Domino, tempus poſthâc liberius.

se gereret, sed ostentaret seipsum tanquam sit Deus. Quæ verba quam ita in eam aptissima oratione congruant, vt neminem posse aliam designare videantur: ipse prius quo pacto se purget apud Deum videat, quàm alios accuset apud homines. Sed ad hanc disceptationem aliud dabitur, donante Domino, tempus potestásque liberius.

SANCTÆ ET APOSTOLICÆ ECCLESIAE, CONTRA ERRORES PONTIFICIAE DOCTRINÆ.

Actio Secunda.



X his, quæ hactenus disputata sunt, satis constare arbitror, non ideo ab ecclesia Christi nos abiisse, quia Romanam deseruimus societatem. Quod superest, consequens esse videtur, vt qua de causa Romanam hanc repudiamus coniunctionem, quibusque in rebus ab eorum diuellimur communione, paucis expediamus. In quo illud tamen inprimis præmonitos esse lectores æquos non iniquum fuerit: susceptum hoc nobis, cum aduersariis dissidium esse, non eo animo, vt lites & turbas in ecclesia, contendendi & repugnandi studio excitemus: neque quòd hominibus ipsis malè quicquam velimus, quibuscum digladiamur: neque quòd partes porrò illas Christianæ vnitatis & concordiæ non multò lubentius amplecteremur, si huiusmodi hæc esset vnitas ab illis proposita, quam illæsa Christi fide & gloria, quam incolumi conscientia, quam sine manifesto scelere

lere & perfidia, quam sine salutis nostræ graui periculo tueri quoquo modo liceret. Nunc quũ eo in loco res posita sit, vt à Christo non dissentire, si his consentiamus, nulla ratione liceat: quid istis tandem relinquitur, quod vel ipsi contra nos, vel pro seipsis obtendant amplius? Quòd si defectionis nos insimulent, quin ergo quæ vera sit defectio, id nobis prius definiant. Certè si hi, qui à primitiua & Catholica ecclesia, à primis Christianæ fidei parentibus, à priscis patribus, qui ab apostolis, à Christo, & legitimis doctrinæ Euangelicæ principiis, ad aliam doctrinam, ad hominum inuenta, ad peregrinas religionis nouitates, ad cultus idolorum, ad Euangelium aliud apostolis incognitum, ad preces ignotas & barbaras se transferunt, discessionis merito sint coarguendi: nullos verius apostatas iudicari oportere censeo, quàm genus hoc totum pontificium.

Atquî hîc iterum excipiet istorum aliquis, sese in ecclesia sancta & catholica, quam ab apostolis deductã huc vsq; tenent, possessione stabili, atque immota constantia persistere, quam nos paucos in angulis obreptantes perfida discessione, velut relicta communi patria, in Auentinum montem recedentes repulisse dictitant. Quibus iterum vt occurramus, ita sibi responsum habeant: primum quod ad numerum attinet, siue multi, siue pauci sumus, haud magni id referre: In ecclesia, inquit, Augustinus

gustinus, non numeranda sed ponderanda sunt suffragia, sæpeque fit, vt pars hominum maior, turba quàm veritate superior vincat meliorem. Quin & Christus ipse gregem suum velut dinumerans, pusillum describit: quumque vocatos multos esse fatetur, electos tamen non multos, sed paucos esse dicat, dubitatque porrò, idem filius hominis cum venerit, an fidem inuenturus sit in terris. Quanquam verò, si recta subducta ratione, censum hominum, nationum ac populorum, ad calculos exigant, eorum, qui fraudes & pestes Romanæ pseudologiæ toto animo fugitant, non tam exiguum numerum esse comperient, quàm ipsi fortè vel suspicantur, aut debeant certè contemnere.

Augus.
Luc. 12.
Mat. 20. 22.
Luc. cap. 18.

Ad ecclesiam verò ipsam quod attinet, sic accipiant, sibique persuadeant: Quæ verè Christi ecclesia sit, vbicunque ea sit, ibi nos consistere: eiusque nos membra fidelissima profiteri. Cuius ecclesiæ nomen quidem illi tenent, rem ipsam prorsus amiserunt. Quod quo dilucidius oculis cerni possit, vtramque, & eam quæ olim fuit, & quæ nunc Romana ecclesia existat, acriori paulum iuditio excutiamus, nostrosque hodie symmystas, si placet, cum primis illis superioris memoriæ administris atque doctoribus, veluti ἐκ τοῦ παραλλήλου componamus. Ita fiet, vt quid vtrinque intersit discriminis, facili diiudicatione intelligatur. Quippe verò illi quàm solicitè olim ac reuerenter sacrum hoc ministerii munus

Veteris Romanæ ecclesiæ cum horum temporum ecclesiastis comparatio.

Veteris & apostolicæ ecclesiæ mores & instituta.

nus, quod legitima vocatione imponebatur, administrabant? quibus nihil erat cordi aut curæ magis, quàm vt errantes docerent, feroces verbi potentia reuincerent, mederentur deceptis. Accedebat ad hos docendi labores, haud minor & vitæ solicitudo, sic instituendæ, vt non modò sanam ipsi conscientiam gererent, quæ benè responderet apud Deum: sed ne quid etiam in vita videri posset, quod cuiquam esset offendiculo. Quorum omnis vita non in ocio & deliciis, sed in studio diuinarum literarum, in propagando regno Christi impendebatur. Pastores erant ouium, sed nihilo minus oues & ipsi, non ouibus lupi, non humanis armati præsidiis, sed potentia fidei, sacra doctrina, pietatis studio, sincera charitate non tam admirabiles, quàm amabiles, ea denique morum comitate & spiritus imbuti mansuetudine, quæ nec inimicos etiam læderet. Nihil vi gerebant, tantum vtebantur gladio spiritus, & verbi potentia, non coniiciebant in vincula, non ad ignes rapiebant, neminem facultatibus excutiebant, non bella, non cædes spirabant illi, nec ad arma populos euocabant, nec principes inter se committebant vnquam: vt ipsi pacifici, & pacis nuntii, ita quàm maximè ad pacem inuitabant omnes. Nunquam vniuersales illi titulos affectârant, nec fiduciam vllam in improborum conspiratione, in seditiosis tumultibus, in fucis, in insidiosis consiliis reponebant.

Non

Non sceptra principum excusserunt è manibus, nec ceruicibus vnquam insultabant. Verùm sub ethnicis potestatibus quietè viuebant, studiosè cauentes, ne quam seditionis occasionem darēt, exhibentes honorem, cui debebatur honor, vectigal cui vectigal, tributum cui tributum: hortabantur Christo initiatos, vt idololatris etiam magistratibus parerent, pro illorum incolumitate quotidie Deum orantes.

Hunc in modū primi illi Apostoli, & Apostolici patres mundū initio innouabāt, & ecclesiā indies propagarunt. Ad quod vix dici possit, quantum momenti attulerit, non vis solum miraculorum, sed coniuncta simul par morum cōmendatio, vitæ probitas, in afflictionibus alacritas, in perferēdis iniurijs lenitas, anim⁹ simplex, mansuetus, nulli malum cogitans, & de omnibus benemereri studens, humanis omnibus rebus superior, & vitæ contemptor, ab omni denique secularium negotiorum implicatione vacuus, quò liberius seruirent Euangelio. Atq; verò seculis illis felicioribus alebantur Ecclesiæ Præsules his, quæ sponte deferebat populus, sua contenti tenuitate: Interim siquid quotidianæ superat necessitati, in pauperes refundebatur. Nec aliud tunc temporis Domicilia erant episcoporum, quàm ærarія indigentium. Nondum enim auribus innotuerunt Regalia sancti Petri. Quid quod ex hoc ipso Episcoporum ordine, nonnulli ea vixerunt paupertate, vt quum morerentur, vix quod satis esset ad sepulturam, illis suppeteret,

Ingens dissimilitudo inter antiqua & recentioris ecclesiæ præsules.

quemadmodum de Theodoreto legimus. Cæterum hoc hominum genus iamdudum extinctum exoleuit, vix vt vlla iam supersint reliquiarum vestigia. Vsque adeò omnia in diuersum reciderunt apud istos hodie Romanenses: vt qui modo hos cum illis κατὰ [illegible] velit componere, moresque istorum symmystarũ, crudelitatem ambitionem, tyrannidem, fraudes, conspirationes, strepitum, delicias, ocium, opes, glorias, satellitia, palatia, vitæ luxum, vindictæ cupiditatem intueatur, Satrapis quàm episcopis: Monarchis, quàm Monachis similiores comperiat, vixque sciat, pastores, aut impostores: Doctores, an seductores, Prælatos an Pilatos cum Bernardo rectius dixerit. Et tamen post hæc omnia vt nihil istos pudet, successores eorum videri velle, à quibus toto vitæ ordine sic degenerarunt, vt nec tenuissimum quidem illum primitiuæ vetustatis signum in his appareat.

Bernardus ad Eugenium.

Quanquam ferri & istud vtcumque potuisset, si doctrinam saltem, quam primi illi maiores, & Apostolici principes ecclesijs commendatam post se reliquerunt, incolumem nobis permisissent. Nunc hac ipsa etiam parte, adeò dissimilia sunt omnia, vt meritò quis dubitet, vitané istorum minùs Apostolica, an doctrina magis Apostatica videatur. Cuius quum ea natura ac nouitas doctrinæ sit, vt nihil habeat Apostolici saporis, nullam gerat caniciem, mirum quàm non desinunt interim belli isti

Vita Romanorum præsulum non tã Apostolica quàm Apostatica videri potest.

homines, nouitatis nobis inuidiam conflare, quasi contra eos ipsos non omnium maximè pugnet tum scripturarum, tum Apostolorum, tum doctissimorum patrum antiquitas. Alioqui id mihi explicent, quam habet antiquitatem: primũ Laterana ista & inauspicata transubstantiatio: deinde Confessio, quam auricularem vocant? quarum vtranq; pontifex Innocentius tertius, barbara ætate, nullisq; firmis scripturæ rationib', sed cõiuratis quorũdã maleferiatorũ decretis prçcipitatã, per vim atq; autoritatẽ, ecclesiæ obtruserat. Consimiliter, & illud nobis ijdem explicent: ex qua tandem origine, quàm antiqua, prosilierunt priuatæ Missæ, tricennales? anniuersariæ, altaris repetitum quotidie sacrificium expiandis sceleribus comparatum; truncata altera Eucharistiæ pars? peregrinationes, inuocationes mortuorum, preces populo ignotæ nec minus barbaræ, atque ad certum pensum numeratæ? Aut quàm longa temporis præscriptione confirmabunt has mihi condonationes, indulgentias, bullas Papanas, stationes Romanas, ad limina apostolorum concursationes, templorum dedicationes, sanctorum apotheoses, salis & aquæ exorcismos, vestium, frondium, idque genus nugarum consecrationes vix finiendas: vt his accenseamus vota monastica, regulas, rasuras, laminas, mitras, Tyaras, vnctiones, pallia, iubilæa, mirorque circumcisionem & sacrificia ex veteri lege non item cum reliquis obtrusa.

Pontificia doctrina nouitatis arguitur.

Atqui

Atqui Apostolorum doctrina, cum primum se mundo aperuit, vt erat cœlestis atque orbi salutifera: ita non alia narrabant hi, nisi quæ viderant oculis, auribus hauserant: nihil adferebant, quod non esset olim multis modis & figuris adumbratum, & Prophetarum oraculis prædictum & consentaneum. Et vbi tandem viderunt isti, aut auribus vnquam audierant, quæ disputant nunc de purgatorio, de meritis satisfactorijs, de cibis cum gratiarum actione non sumendis, de matrimonio non æquè omnibus hominibus libero ac concesso? De statuis ad cultum erectis? Aut ex quibus tandem fundamentis id prompserunt, quod de vniuersali pontificis potestate, de Apostolicæ sedis Romanæ successione, de claue nunquam errante, de autoritate illius absoluta iactitant, quę potior omnibus concilijs, quæ omni humano iuditio superior existimanda sit?

Nouitas pontificiæ doctrinæ multis in rebus nũquã audita veteribus.

Ab Apostolis ita olim instituti sumus, qui summã salutis nostræ solum in fidei potentia cõstituerunt, quòd videlicet iustitia, sapientia, sanctificatio, & redemptio nostra Christus esset. Et vbi id igitur isti acceperunt, quod nos credere volunt ac cogunt: hominem ex sese opera gignere meritoria: quòd benefactis meremur vitam æternam etiam de condigno: quòd beata virgo potest imperare filio cum patre regnanti, vt exaudiat huius aut illius preces. Olim Apostolorum temporibus, decretum erat publica autoritate, non sine spiritu sancto, nequis iugum imponere

Apostolica institutio quotquibusq; in rebus à pontificiis hodie decretis dissentiat.

poneret gentibus molestarum traditionũ. Neq; quisquam tum, docente Paulo, magnopere molestus erat vescenti carnibus, modò priuatim, modò citra offendiculum. Et vnde nunc tanta vis hæc humanarum præscriptionum, quibus supra Iudaicam conditionem publicè, & priuatim illaqueantur conscientiæ, vt iam pro hæretico de capite periclitetur, qui vel valitudine aut necessitate adactus, vel ouum, vel quicquã præter leges pontificias, gustârit in quadragesima. An à spiritu sancto hæc proficisci onera & grauamina quisquam putet? Qui si tum liberas esse ecclesias voluit cum sanctis apostolis, easdem nũc, mutata sententia, onerare eum magis, quàm antea voluisse, nõ fit profecto verisimile. Consimilem in modum, anteactis temporib⁹, populi suffragijs, non sine principum aut Imperatoris cõsensione, adhibita examinatione creabantur episcopi, iuxta veterum canonum τὴν νομοθεσίαν. Nunc quomodo canonica hæc electio sine omni examine, sine populi suffragijs & suffragatione principis, ad paucos Cardinales reuoluta sit, vel auctionibus fortasse prostituta, quam habeat antiquitatis originem, aut quando primum emersit, id mihi respondeant isti peruelim: ut alia permulta præteream, ad quæ piæ mentes inhorrescunt.

Quamobrem vt hanc de antiquitate materiã concludamus paucis, si ex Tertulliani sententia, verum id esse, quodcumque primum, putandum sit: contraque adulterium id esse, quodcunq; po-

sterius: Sicque id rectè Irenæus fecit, qui contra temporis illius errores dimicans ad antiquissimas ecclesias prouocauit, quæ vt Christo viciniores, minus errauisse credebantur. Si denique ex veteri autoritate Concilij Nicæni id retineamus ἔθη ἀρχαῖα κρατείτω: nos itidem eorum exemplo, si ad antiquissimarum ecclesiarum similitudinem illam, à vobis relictam, redire volumus, ad eiusq; institutionem, nos nostraq; reuocare, ecquis in eo, ab ecclesia secessionem, an accessionem potius nos facere dixerit?

Visibilis ecclesia quum bonos simul & malos contineat, quo modo vitandi sunt mali, vt ecclesiā tamē non deseramus.

Sed multa hîc de visibili ecclesia ingeri solēt: Quæ quum bonos simul ac malos contineat: & illos merito amplectendos, & hos tamen non deserendos prædicant, propter ecclesiam, quam incolunt. In visibili ecclesia bonos simul ac malos contineri minimè inficiamur: Atque vt illos libenter amplectimur, ita neque hos temere reijcimus propter ecclesiam. Neque tamen hinc cōsequitur: Qui malos deuitant in ecclesia, eos ecclesiam reijcere. Etsi enim mali in ecclesia sunt cum bonis admixti: non tamen mali ecclesia sunt Christi. Qui autē boni isti existant & mali, quos dicimus, explicandum est: quos non moribus metiri oportet, sed religione. Vt bonos hîc dicimus, qui rectè de Christo sentiāt, eiusq; sacramentis doceant: ita malos ex aduerso eos appellamus, qui synceram Christi fidem violāt, qui sacramenta illius corrumpunt, quiq; sub ecclesiæ titulo ecclesiam Christi persequuntur.

Mali etsi in ecclesia sint, non tamē ecclesia sunt Christi.

Tales in omni ecclesia, perpetuisq; ecclesiæ tempori-

temporibus inde adeò à primis Patriarcharum, Prophetarũ, & Apostolorũ temporibus semper fuisse testatissimum est, qui nulla vera religione præditi, sed inani simulationis specie fucati, ad veram euertẽdam pietatem, pietatis maximè titulo abuterẽtur. Quo in numero erant olim sub Isaaco & Iacobo, Ismael & Esau: sub Iosepho, fratres, qui turpi cõspiratione in necem innocẽtis cõsenserãt: Qui contra Mosen, cum Dathan & Abyron, sæpeq; aliâs conspirârũt: Qui cõtra Dauidẽ legitimũ principẽ, nefaria arma cõiunxêre: Qui Eliæ, qui Micheæ, qui Esaiæ tẽporibus sumpta sibi Prophetandi persona, veris Dei Prophetis sese opposuerunt: Qui Prophetãte Hieremia, acclamârunt Tẽplũ Domini, tẽplũ domini: quũ verba essẽt mẽdacij plenissima: queadmodũ Scribæ etiã & Pharisæi, sub Christo, Abrahami se filios videri voluerunt, quum multo verius ex patre essent Diabolo. Quin nec defuerunt Apostolorum ætate, non dissimiles Phrænapatæ, quos D. Paulus meritò in eos destomachans Pseudoapostolos ψευδοαδέλφους, Canes, malos operarios, hostes crucis Christi vocat. Et Angelus in Apocalypsi: Qui dicunt, inquit, se Iudæos esse, at sunt synagoga Satanæ. Breuiter quid non in Christi solum ecclesia, sed in omni rep. frequentius hoc hominum genere, qui quũ vera virtutis via ad laudẽ emergere aut nequeunt, aut nõ volunt: populi non solùm cõmoda, sed & salutẽ oppugnent, sub hypocrisi id agentes, vt aures captent populares & imponant simplicibus. Simili calliditate Mahumetani, ne

Mali in ecclesia quo sensu dicantur.

Philip. 3.

Apocalyp. 2.

Agareni viderentur, Saracenorum sibi nomen, tanquam qui ex Sara producti essent, imposuerunt. Et bestia Apocalyptica, quum nihil minus quàm agnina esset, agni vultum & cornua egregie mentiebatur.

Apocal. 13.

Obiectionis Papisticæ dissolutio.

Sed aduersabitur hîc mihi prorsus ex amicis fortasse Romanæ curiæ aliquis. Quid, inquiens, hoc rei est? Itané tam sacram sedem cum Agarenis & Saracenis comparas, præsertim quum illi in nulla omnino parte ecclesiæ visibilis habeantur? neque pro Christianis censendi sunt? Roman⁹ verò Patriarcha, etsi caput ecclesiæ minus à vobis recipiatur, inter membra tamen ecclesiæ visibilis, atque in numero quidem Christianorum negari non potest. Quare quum pōtifex hic in ecclesia consistat Christiana Christianus, Christianos proinde à Christianis sese dirimere haud profectò cōuenit. Quid prolixiori hîc opus responsione, quā vt vno verbo cum Cicerone respondeam: Quid verba audiam, quū facta videam? Certè si Christianus sit pontifex, sicut videri postulat, tanto indignius facit, qui sub Christiani nominis simulatione, in cædē & vastitatē Christianorū tā furēter insaniat, tamq; impotēter, vt nemini dubitandū sit, quin Abadō iste cædendo, exurendo, opprimendo plura cumulârit corporum Christianorū funera, quàm quisquā ex vltima Barbaria eorū, qui apertos se Christiani nominis hostes profitentur. Tanto etiā nocētior ipsis Saracenis, quāto minus lædere solet is, qui palā est aduersarius, quā qui occultū, intestinum ac domesticum malum molitur,

Pontifices Romanos, vt christiani sunt & membra visibilis ecclesiæ, nō deserimus sed doctrinā eorum reiicimus.

Tuscul. lib. 3.

quorum

quorum ille cauendo vitari vtcumque possit, hic etiam incautos opprimit, antequam prospicere atque explorare potuerunt. Porrò autem vt id donemus, hunc ipsum pontificem, non nomē solùm inter Christianos, sed sedem etiam in meditullio ecclesiæ visibilis celeberrimam occupare: quid hoc ad rem adeò, quum Antichristus ipse in summo Dei templo solium suum fixurus sit: tanta septus hominum multitudine, quātam describit nobis scriptura prophetica, his verbis: Et faciet omnes pusillos & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos, habere characterem in dextra manu sua, aut in frōtibus suis: & ne quis posset vendere aut emere, nisi qui habeat characterē, aut nomen bestiæ, aut numerū eius nominis, &c. Ab hac itaque peste & contagione, quantumlibet ea in ecclesia visibili sedeat, si quis se subtrahit, non ideò consequens est, eum ecclesiam Christi visibilem abnegare. Quin neque illud verum est, licet pontifex, eiusque symmistæ & Cardinales pars sint aliqua ecclesiæ visibilis: in eis tamen vniuersam consistere ecclesiam.

Apocal. 13.

Pontifex cū suis Romanēsibus, & si pars sit ecclesiæ, vniuersam tamē nō constituit.

Sed pergunt adhuc tamen argutari. Quid, inquiunt, an non vniuersa Christi ecclesia fidem vbique Romanam amplectitur? Age, & quid tū postea? proinde qui se remouet à fide Romana, non potest non vniuersam Christi ecclesiā abnegare. Huic paralogismo quid aliud respondeam, nisi vt vtrumque negem, & quod assumitur, & quod concluditur. Neque enim fidem hanc,

Argumentū Papæ ab vniuersitate.

quæ modò Romana dicitur, vniuersam semper agnouit: neque adhuc agnoscit ecclesia per orbem vniuersa. Quippe quæ super fidem apostolicam, non Romanam fundata sit. Neque nos, si omnia & singula Romanæ institutionis dogmata, quæ nunc in vsu percrebuerunt, non approbamus, sed respuimus, ecclesiam propterea vniuersam deserimus. Atque vt hoc insuper fateamur, permagnam hodie vulgi partem Romanis institutis acquiescere, nobis tamen, non quid vulgo sit, sed quid veritas ferat, spectandum est: neque quæ nunc Romana sit fides, sed quæ prima fuerit, & quæ nunc esse debeat, explorare oportebit. Certè qui ab erroribus, doctorum inscitia aut prauitate in ecclesiam inuectis, se recipit: non is ab ecclesia deficit, sed ecclesiæ potius consulit. Quòd si Romanus pontifex, quique se magistros Romanæ ecclesiæ profitentur, talem nobis ecclesiam Romanam, quæ nihil ab apostolica dissentiat, talem nobis fidem, quæ non multis tetrisque erroribus vitiata sit, commonstrabunt: meritò nos arguant defectionis. Sin id nequeant, sique ipsi multo priùs relicta Christi apostolorum, saniorisq; ecclesię disciplina, in nouam quandam ἑτεροδιδασκαλίαν se transtulerunt, iudicet non iniquus lector, vbinam faba hæc discessionis, in nos, an in illos potius cudenda sit.

Obiectio pontificis. Atquì olim in iisdem nobiscum castris versabamini, inquient, vndè nunc resiliistis, atque à nobis discessistis. Sanè quidem, atque vos ipsi aliquando

liquando cum Christo, cum apostolis, cum piis maioribus piè rectéque sensistis: cur his repudiatis, alii nunc facti estis? Quòd si vobis licere id vultis, è recto religionis cursu, quem olim tenebatis, in scopulos istos & syrtes errorum deferri: cur nobis non perinde licebit, abdicatis erroribus, in viam salutis, post diuturnas tenebras tandem patefactam, nos reuocare? Nunc verò vtrum æquius sit, vos in viam redire, an nos male vobiscum currere, ipsi vobiscum deliberate. Nobis aliud agere, aut aliter atque iam agimus, nulla ratione licet: quum nihil hîc agamus, cuius non grauissimam nobis necessitatem scripturæ imponit autoritas, & Christi veritas. Fuimus aliquando vobiscum: fateor, eadem nimirum errorum societate aggregati. Quid tum? An si olim errauimus iuuenes, senes idcircò non emendabimur? Atqui ita Moses olim in familia fuit Pharaonis, Abrahamus in Chaldæa, Lothus in Sodoma, Hebræi in AEgypto, Daniel & prophetæ in Babylone, Christus cum Iudæis, Paulus cum Pharisæis, Petrus inter piscatores, Augustinus inter Manichæos. Discessio non omnis igitur, neque omnium, neque ab omni hominū societate omninò culpanda est. Quanquam nos hominum nullorum societatem, qui modo Christiani sunt, respuimus, neque ab ecclesia visibili dirimimur: verùm quum hæc ipsa ecclesia duo complectitur hominum genera, Ex quibus altera pars eorum est, qui docendi atque administrandi

Duo hominū genera in ecclesia visibili.

personam

personam sustinent: altera pars reliquæ multitudinis existat: nos in pseudodoctoribus nonnullis, dogmata quædam & assertiones taxamus, à quibus necessariò recedimus, ita tamen vt ab ecclesia visibili, in qua cum ipsis coalescimus, nullam faciamus discessionem, imò cum ipsis etiam aduersariis in iisdem plerumque vrbibus, sæpeque in iisdem tectis, Christianam agitamus consuetudinem. Etsi ab erroribus quorundam dissentimus, ipsis tamen hominibus non nisi optimè & volumus & cupimus: potiusque eiecti ab illis quàm ipsos deserimus: magisq; vi atq; proscriptione illorum, quàm sponte nostra abire cogimur. Vnde si propriis rem explicare vocabulis volumus, non tam à nobis discessio, quàm dissensio ab illis esse facta videatur.

Dissensio non discessio inter protestantes, & papisticas ecclesias.

In qua tamen dissensione, non ita omnia pontificum illorum & theologorum dogmata conuellimus, aut improbamus, ac si nihil esset apud eos sanum: nec ita cum tota illa ecclesia contendimus, ac si nulla ecclesiæ visibilis forma in tota vrbe Roma reliqua existeret. Habent enim baptismum, in quo nomen patris, & filii & spiritus sancti profitentur. Habent & legem Dei, & Euangelium: quin & Christi cultum retinent, & symbolum nobiscum recitant. Tenent & aliquo modo Sacramenta, licet iisdem fœdum in modum abutantur. Quæ omnia nonnullam Christianismi speciem apud homines præseferunt. Non secus atq; veteres olim Iudæi, præsente Christo, sanctam tenuerunt ciuitatem, in qua Dei sanctissimum

simum nomen personabat: in qua cultum illius, leges, ac instituta, iuxta externam aliquam speciem, amplectebantur, in qua & in Mosis cathedra sedentes nonnulla docuerunt fortassis non malè. Quum nihilominus sub larvata hac religionis specie, summa lateret hypocrisis, atque in Deum ipsum perfidia. De quibus & à Deo ipso testatum per prophetam legimus, non populus meus vos. Pari ratione, si quid rectè seruet, doceatque, siue Romana, siue quæcunque ecclesia, in eo, ecclesiæ nullius communionem respuimus. Quoniam verò Romana ecclesia veteris synagogæ exemplo, in teterrimas errorum pestes, horrendas absurditates, idolomanias, blasphemias, impietates, sectas & hæreses prouoluta, ab ipsis verissimæ doctrinæ institutis, à syncero Dei cultu, christianæq; religionis rectitudine, à principio sui generis, à studio & sensu apostolorum, à maiorum vestigiis, veterumque exemplis, se ad nouum quoddam doctrinæ genus abduxerit: eademque supremum & singulare in omnes Christi ecclesias imperium, crudelitate, sanguine, rapinis plenissimum sibi arroget, in iis si longissime ab eorum commertio diuellimur, quis tam nulla mente, nulla est conscientia præditus, qui quum tot tantasque causas intelligat, non id nimis serò potius quàm perperã esse factum à nobis putet? præsertim qui non leuitate aliqua, ceu vento agitati, sed conscientia coacti: non studio, sed necessitate, non tam sponte nostra, quàm diuina præceptione, de medio eorum

Ose. 2.

exire iubeamur.

Labes & errores doctrinæ pontificiæ.

Attamen rogabit hîc aliquis, quænam istæ labes existunt, quæ errorum pestes in doctrina pontificia? Certè si huiusmodi res hæc esset, tam per se obscura, vt non omnium pateret oculis, plusculũ hîc mihi operæ in dilatanda oratione insumendum arbitrarer. Sed tribuamus tamen aliquid iuuandæ (si quid possumus) imperitorum inscitiæ. A quibus interim vnum hoc astipulor atque contendo, oculos tantum aperire velint. Multos enim video, qui cæca pontificis admiratione effascinati, erroribus abducuntur illius, non alia causa nisi quòd verum, quum videre possint, non velint, Quarè detractis velis & cortinis, res ipsas inspiciamus, totumque Palladium istud Romanum, non quid foris obtendat, sed quid intus atque in cute tegat, intueamur. Scio plausibile esse nomen ecclesiæ, venerandam Christi, Petri, Pauli mentionem, gratam priscæ antiquitatis memoriam, permagnam maiorum autoritatem apostolicæ vnitatis, Catholicæ consensionis ingens esse pondus: nec leuem inesse clauibus pietatem, vbi veræ sunt: vbi non sunt, nihil ad fallendum accommodatius. Non igitur nudos mihi titulos adferat Romana ecclesia, res ipsas ostendat. Quid externa venditet ambitio, non multum moror. Quid veritas re quidem ipsa comprobet, illud quæro, ac laboro scire. At quid reperio? Vt verbo

rem expediam. Inuersa omnia. Sub agnina pelle, immanes lupos: sub ornatu sponsæ, pellicem Babylonicam: sub Christianorum infulis, satrapas, bellatores, viperas, excetras, tyrannos, incendiarios, hostes Christiani sanguinis, denique nihil minus, quàm quod præseferunt: nihil magis referentes, quàm ipsos, propè dixerim Iudæos. Sit hoc, quod dico, vanitatis & impudentiæ, nisi res ipsa luculentis conuincat argumentis.

Iudæorum & Romanorum pseudocatholicorum comparatio.

Primùm, quemadmodum Iudæi quondam sub Dei nomine, filium Dei mactauerunt: itidem & hi sub Christi nomine, Christi membra, & ecclesiæ filios hostilem in modum, summa sæuitia, immani crudelitate, ad necem, ad ignes, ad omnia suppliciorum genera pertrahunt, sine modo, sine causa, sine misericordia.

Persecutio christianorũ per papam & papistas.

Vt illi relicto spiritu, literam, quæ occidit, solam amplectebantur, ad ea omnes sensus, & interpretationes suas referebant: Quid nostri hodie aliud Romanenses, quàm externam mysticæ scripturæ literam solam vrgent, inculcant, ad hanc, velut vnicam religionis regulam, omnia exigunt? Quid externa sonant Euangelij verba duntaxat attendunt, quid sub verborum inuolucris, sub tropis & parabolis mens velit Domini, quo spectet diuina in his sapientia, quo spiritus nos ducat, nihil cogitant, nec quicquam habent pensi. Externam scripturæ corticulã & carnem arrodunt, ad spiritum non proficiunt, nec neruos attingunt

 scripturæ.

scripturæ. In frigidissimis parergis, in euanidis huius mundi elementis, mirum quàm subtiles sunt & feruentes. In iis, quæ ad rem faciunt maximè, plusquam talpæ sunt, ac ne tepescunt quidem.

Iudaica ceremonia & Romanæ vtrinque ponderata.

Apud Iudæos omnia externis ceremoniis, & externis ritibus peragebantur, sic tum ferebant tempora. Ad hāc imaginem, si quis pontificiæ institutionis discipulos exploret, quid aliud, quàm Iudæos reperiet? nisi quòd Iudæi ceremoniis à Deo præscriptis, iuxta carnalem literæ sensum perfungebantur, nostri quum nihil huiusmodi sit ipsis à Deo imperatum, imò iuxta expressam scripturæ vocem, à corporalibus exercitiis ad alia sublimiora auocantur: tamen contra ipsam apostolicæ doctrinę præscriptionem, vsque adeò mutis ceremoniis instupescunt, vt omnia penè in ceremonias versa apud eos esse, multoque tolerabilior hoc nomine Iudęorum conditio, quàm Christianorum, videatur. Apud Iudæos olim animaduersum ac meritò reprehensum est, quòd immodico studio suarum traditionum, diuina mandata haberent neglectui, pluris'que facerent præcepta hominū, quàm quæ à Deo imponebantur. Cum istis si nostros hos conferamus Romanæ curiæ antistites, quid in his comperiemus, quod Iudæos in hoc superstitionis genere, non æquet modò, sed multis etiam prætereat parasangis? declarāt hoc strictissimæ sanctiones, acerrima iudiciorum exempla, veniaque multo difficilior his proposita,

Superstitio plusquam Iudaica Romanensium in suis tuendis traditionibus

 sita,

sita, qui pontificia iura, qui vota, qui placita & dogmata ab hominibus inducta violant, quàm qui leges diuinas transgrediuntur.

Quid de eo autem referam, in quo populus hic Romanus ita cum Iudæis pœnitus conspirant, vt vix dixeris, magisnè Iudaïsent Papistę: an Iudæi papisent? Siquidem qualem Iudæi Messiam suum, vel antehâc iamdiu, vel adhuc venturum expectant, qui terrena fultus potentia, bellica victoria insignis, armorum præsidiis, copiis, virtute militari, ac perualida manu, florentissimum in hoc mundo regnum comparaturus sit, terrena felicitate, splendore regali, opibus, amplitudine, gloria; imperii maiestatę inuictum ac triumphale: cui cæteri omnes mundi monarchæ fasces ac ceruices submittent: Quid nostri quæso, an non consimili delirio, quo Iudæi imaginarium suum Messiam sibi fingunt, hi ipsi Romanenses vicarium Messiæ sibi constituunt in hoc mundo gloriosum, quem auro vestiunt, gemmis ornant, ac mitra coronant triplici, imponunt equo magnifico, vel humeris potius hominum circumgestant, addunt titulos plusquam regales & imperatorios, vectigalia, prouincias tributarias, satellitium, tubas, sublimes consessus; ipsam denique pietatis plenitudinem, & quidnon?

Iudæi vt mũdanum Messiam: ita Romani mundanum requirunt vicarium.

Porrò quemadmodum pontificem hunc, Messiæ vicarium, caput esse vniuersalis ecclesiæ principem ac monarcham decreuerunt: ita ad eandem imaginem, pontifici affingunt ecclesiã,

Qualis pontifex, talis eiusdem ecclesia.

quæ ne ſuo capiti non reſponderet per omnia, talem eſſe eam volunt, quæ publico totius mundi plauſu & magnificentia præfulgeat, quæ terrenis opibus & præſidijs circundata, legibuſque armata, ſummis pariter ac infimis terrorē incutiat. Eamque ob cauſam ad tuendum hunc eccleſiæ ſtatum, proſpectum ab illis eſt non incallidè, vt Cardinales, Patriarchæ, cæterique ſtatus & ordines eccleſiaſtici, quàm maximè in honore & dignitate verſentur, vt purpura auroque ſplendeant, diuitijs, latifundijs, delicijs diffluant, cum ſumma pompa & amplitudine, in Regijs, in palatijs floreant, quò ſic decus matris ſuæ cohoneſtent, eamque reddant oculis intuētium conſpicuam & glorioſam. Hæcque nimirum illa eſt viſibilis eccleſiæ illius, quam vnam & catholicā definiunt, facies. Hæc glorioſa Ciuitas illa Dei, cuius fundamenta in montibus ſanctis. In qua ruga nulla ſpectatur nec macula: In quā ne poſſit quidem labes vlla erroris cadere. Quæ illuſtris & perſpicua, velut ciuitas ſuper mōtem poſita, procul ab omnibus videri queat, audiri ab omnibus debeat. Quoniam verò hæc eccleſiæ forma nuſquam hodie conſpici poſſit, niſi in his ſolum gentibus & populis, quibus præſit Romanus pontifex, hinc neceſſariò fieri, vt nulla vera ſit & glorioſa Chriſti eccleſia, præter ſolam Romanam: reliquas omnes eccleſias ignotas atque obſcuras eſſe: quippe quæ vt nullam de ſe emittant generis aut antiquitatis claritudinem, ita eaſdem Chriſti nullo modo dicendas,

Pontificia ecclesia idaa atq; imago.

ſed luſtra potius eſſe & latibula hæreticorum?

Atque hæc de eccleſia quidem obiter, ſuper qua materia, ſequentibus in libris, dehinc ſuſius pleniuſque dabitur, ſi Chriſtus dederit, pertractandi locus. Illud interim admonere non alienum. Siquidem verum ſit, quod Chriſtus Dominus ipſe negat regnum ſuum de hoc mūdo eſſe: quodque idem aſtruat, quæ excelſa & glorioſa videntur iuxta iuditium ſeculi huius, eadem apud Deum pro abiectiſsimis haberi & abominandis: denique ſi Apoſtolorum & ſanctiſsimorum Chriſti Martyrum ea ſemper fuit conditio, vt mundus eos odio magis, quàm honori habuerit, ſemperque contemptui maximè patuerint, qui maximè Chriſti eſſent, nec poterit magiſtro ſuperior eſſe diſcipulus: fieri certè non poteſt, vt eccleſia pontificia hæc, tam in ſeculo potens & excelſa, in tāto luxu & plauſu mundi huius, tot tantiſque fauoribus & amicitijs principum nobilitata, cum Chriſto capite, cum Apoſtolorum cœtu, vllo affinitatis gradu cohæreat.

Papiſtæ iudaiſant in iuſtitia operum conſectanda.

Venio ad reliquas iam doctrinæ partes, in quibus nihilo minùs, quàm in hac ipſa eccleſia, quam dixi, conſtituenda, Iudaizare Papiſtæ videantur. Quòd ſi verò Paulus de reiectione Iudæorum diſſerens, qui iuſtitiam legis ſectantes, ad eam non peruenerunt, cauſam, cur minus eam aſſequerentur, rectiſſimè commonſtrat: *Rom. 9. 10.* Quia inquit, non ex fide, ſed tanquam ex operibus iuſtitiam conſectarentur.

rentur: age, & quid aliud Romana hodie personat religio, nisi vt operum studijs, recteque viuendi præceptis aditum ad ęternam salutem nobis muniamus, omnem bene sperandi fiduciam in eo constituentes, non quòd in eum credimus solum, qui iustificat impium: sed in perfungendis vitæ operibus, quæ omnem excludant impietatem? Hæc & similia qui docent, quantulum quæso inter ipsos dicemus & Iudæos interesse. Quod si Iudæi ex operibus sectantes iustitiam, ob eam ipsam causam à vera iustitia (teste Paulo) exciderunt: qua tandem spe ad eam peruenturi sunt ij, qui seposita fide, omnem adipiscendæ iustitiæ fiduciam, in operibus defigunt?

Fides quo loco recipitur apud papistas

At isti, inquies, non ita fidem secludunt, quin eandem simul cum operibus, necessario ac indissolubili vinculo adnectant? Scio equidem fidem apud eos loco fortassis nonnullo donari, at ita tamen, vt eam nullo modo permittant, in sua dignitate consistere. Etenim quum non alia res sit in nobis posita, neque è cœlis miseris donata mortalibus, quæ nos commendet Deo, quæ gratiam illius conciliet, quæ languoribus medeatur nostris, quæ peccati nexibus irretitos eximat, iram ac pestem auertat, quæ mundum euincat, grassantemque mortis & Dæmonis tyrannidem perumpat, inuictaque aduersus inferorum portas persistat, quæ denique perditos nos homũciones terræ pulueribus & cinere immersos vitæ claritate, ac infinita immortalitatis gloria perfundat, præter solam in Christo fidem,

dem, in qua omnes spes, opesque nostræ, tum Dei etiam promissiones, velut in arca quadam fœderis recludantur: Cumque hæc ipsa fides cum cæteris coniuncta virtutibus, non solum his omnibus singulari sua vi ac præstantia longissime antecellat, sed ipsa etiam per se sola vniuersum salutis nostræ negotium peragat, perficiatque, sicque perficiat, vt quum ipsa greges secum virtutum præclarissimarum semper ducat, nullius tamen ipsa apud Deum ad obtinendam salutem, egeat adminiculo: Quæso ego per Christum, quæ tum peruersitas, ne dicam malitiosa, an impudens hominum amentia existit, (Romanenses istos dico τοὺς ψευδοδιδασκάλους, qui Romanis addicti erroribus, fato quodam nati ad euertendam Christi ecclesiam videntur,) hanc ipsam fidem, veluti rem per se nudam atque informem, vsque adeo infra cæteras virtutes deijcere, vt vix illi in cœlo laudem vllam, nec in terris locum relinquant? Nam quid aliud ipsorum hæc volunt verba, quibus fidem hanc solam, solam vocant temeritatem, atque non fidem esse dicant, sed audaciam, temeritatem, confidentiam? Euangelium, cuius nos mentionem facimus, insidiosum & fraudulentum affirmant. Deinde in ijs, quæ docent ita fidem hanc Christi prorsus expungunt, vt nullam aliam in cœlum viam esse astruant, nisi quæ sanctis actionibus, & excellenti vitæ integritate munita sit. Adijciam & hoc non ex eodem autore, quem dixi, sed ex publica Tridentini

Fides absque operibus sola vniuersum iustificationis nostræ negotium perficit.

Osorius contra Haddonũ pag. 94.

Osor. in epist. ad Reginã Ang. pag. 27. 32.

dentini concilij psephiſmate. In quo quum proceres illi purpurati in multis turpiſſimè hallucinatur, tum nuſquam periculoſius, quàm vbi de iuſtificatione per Chriſtũ accepta philoſophantur. Quam quum ſcriptura perpetuo conſenſu gratuitam nobis proponit, non alia re nixam, quàm ſola Dei promiſſione, per fidem in Christum Dominum noſtrum: contrà illi ſalutiferã hanc vltróque expoſitam Dei gratiam, ſalute & conſolatione pleniſſimam, ita inuertunt, atque inuolunt additiis ſuis decretis, vt negare non pudeat, Euangelium eſſe nudam & abſolutam vitæ æternæ promiſsionem, ſine conditione obſeruatæ legis & mandatorum Dei. Rurſuſque iuſtificationem conſtare non gratuito numinis fauore non imputationis gratia, non ſola peccatorum remiſsione: verum ſanctitate & renouatione interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ (ſic enim loquuntur) & donorum, qua non ſolum reputamur, ſed verè iuſti & dicimur, & ſumus: recipientes in nobis ipſis ſuam quiſque iuſtitiam, non alienam, nec eam propriè, quæ Chriſti eſt, ſed ſuam cuiuſque propriam. Quo fit, vt fides, niſi accedat ſpes (aiunt) & charitas, neminem perfectè vniat cum Chriſto, nec viuum corporis eius membrum efficiat.

Fides absque operibus sola uniuerſam iuſtificationis noſtræ negotium perficit.

Oſorius contra Haddonũ pag. 94.

Concil. Trident. Seſſ. 6. cap. 7.

Oſor. in epiſt. ad Reginã Ang. pag. 32.

Quin neque iis dexteriora ſunt, quæ Tridentini iſti Amphictyones de operibus & vita æterna fabulantur. Etſi enim fides, vt fatemur, cum charitate mutuam & indiuulſam habeat arctiſſimæ ſocietatis coniunctionem, propter multas

Fides quomodo gignit bona opera.

& gra-

& graues causas : Quid enim tam conuenit, quàm vt, qui in Christo se renatos ad æternam vitam, cæloque donatos esse sentiant, post tot tantaque accepta beneficia, non se ingratos, nec immorigeros exhibeant, non carni indulgeant, non mundi abducantur illecebris, non ocio & ignauia torpeant: sed ita se comparent, vt prompto alacrique mentis ardore inflammati, nihil prætermittant officij, quo seruiant Deo, nihil committant, in quo lædatur proximus. Age itaq; vt hæc inquam omnia, ita vt sunt, verissima ponamus, tantamque inter hæc intercedere necessitudinem fateamur, vt fides à vitæ honestate diuelli nec possit, nec debeat. Quid tum? An ideò amplissimum hoc vitæ sempiternæ beneficium, quod gratuita Dei misericordia fidei proprium, absque operibus, esse voluit ac gratuitum, nos operibus bonis tribuemus? gratiamque Dei irritam statuemus? ita vt humana obedientia diuinæ misericordiæ, lex Euangelio, merces gratiæ præiudicet? At vbi hanc didicerunt Dialecticam patres isti conscripti? Res ipsas, quæ finibus & officijs longissimè inter se dissident, nullo ordine, nec distinctione, simul in vnum Chaos tumultuaria confusione conuoluere, quemadmodum coquus confundit sua olera?

Fides cũ datur oportunitas, cessare nequit à recto agendo, semper per charitatem operosa.

Quid? an quia fides honestissimarum virtutum amabili, & iucundo semper se adiungit sodalitio & delectatur, semperque per charitatem operatur, ideone in iustificando non

Fides in iustificando sola In operando non sola,

erit sola, quia in operanda est fructuosa? aut ideò non sola nos in cœlo non iustificabit sine operibus, quia in terris plena est operibus? aut quum in cœlo apud Deũ nos iustificat, idné illa propter charitatem nostrã facere dicetur, an propter Christum? ex mercede aliqua, an ex solo Dei dono? ex meritis nostrorum operum, an ex gratuita Dei promissione? Quod si ex promissione id faciat: quibus tum scripturis, infelix illud axioma suum tuebuntur Rabbini isti Romanenses, in præclaro suo συνεδρίῳ, quo bene operantibus proponendam esse vitam æternam prædicant. Rursusque vitam æternam, tanquam mercedem, bonis operibus fideliter reddendam, ex Dei promissione disserunt. At vbi Deus id promisit vnquam, ea conditione aut mercede datum iri salutem perennem iis, qui stolam, vt aiunt, immaculatæ renouationis candidam præferunt ante tribunal Dei, vt vitam possideant immortalem? Ita enim disputant illi. Quæ doctrinæ ratio, si firma immotaque existat: eodo, quid tum Christo opus, aut Euangelio, siquidē plis hominum operibus, ad cœleste regnum, ceu admota scala, contenditur? Et qui tandem constabit illud, quod Paulus toties inculcat: Salutem ęternam Dei dono obuenire, non ex operib⁹, ne quis glorietur?

Tridenti. Cõcil. seß. 6. cap. 16.

"
"
"
"

Axioma Tridentini Concilii. Sessi. 6. cap. 7

Ephes. 2.

Certè, longè aliter, quàm patres isti patrati, Christus nos in Euangelio instituit, quippe qui non operantibus, sed credentibus vitam in cœlis proponens: Qui credit, inquit, in me, habet vitam

tam æternam. Rursusque haud obscurè promittit, Vt omnis qui videt filium, & credit in eum; vitam habeat æternam. Et alibi idem ingeminans: Qui credit, inquit, in me, non morietur in æternum. Cur autem cum operariis istis, non in hunc potius modum loquitur? Nempè qui piè & iustè vitam in hoc seculo plenam sanctis operibus exigunt, regno potientur immortalitatis.

Ioan. 6.
Ioan, 11.

Quid ergo, an quia ad fidem omnia reuocat, præterita hîc operum mentione, propterea iinmicum fuisse piis operibus, aut fastidio aliquo sanctarum actionum id fecisse eum suspicabimur? Minimè verò. Cæterùm Romanenses isti in suis Summulariis, Sentẽtionariis, Decretariis, Thomistis, resolutionibus plus nimio detriti, ac philosophicis argutiis, penè dixeram occæcati, sacram Christi mentem non recta satis ratione capiunt, nec scopum philosophiæ Euangelicæ, vimque eius, ac natiuam indolem satis aduertunt, nec quid intersit inter legem & Euangelium, commodè diiudicant. Quippe quum lex tota in his tradendis præceptis versatur, quibus vita in hoc seculo sanctè ac illibatè transigatur, quid hîc sequendum ac fugiendum, quo modo irritata sceleribus ira numinis placanda, immissaque supplicia lenienda, cæteræque vitæ huius pestes & calamitates vel amoliendæ, vel deprecandæ sunt, edoceamur: Tũ illa verò altera Euãgelicæ prædicationis legatio lõgè altius se attollit, non ea propriè agens aut pertractans, quæ sunt

Vita æterna credentibus proposita.

Descrimen legis & Euãgelij.
Legis vsus & officium.
Euangelij propriũ munus in quo potissimum versatur.

unt huius vitæ (quanquam & ad hanc etiam instituendam, commonefactiones quādoq; salutares adhibet) sed vitæ melioris ac sempiternæ nūcium longè faustissimum adportet, aduersus infinitas & æternas ærumnas, non huius modo seculi, sed quæ vniuersæ naturę profundius incumbunt, nos erigit, ac consolatur: aduersus mortis & Diaboli ineuitabilem impressionem, remedium ac victoriam aperit: quid nos Deo perditos conciliat, quibus deniq; modis peccatorum nexibus miserè impliciti, eluctemur ad perfectam iustitiam, atque sempiternæ beatitudinis gloriam, ea propriè, inquam, attingit atque indicat.

Fides Euangelica.

Quoniamq́ue ad tantam hanc, tamq́; immensam felicitatis excellentiam, non alia patet perueniendi via, nisi per sanguinem filii Dei, nostramque in illo fidem: eò fit vt intermissa nonnunquam, non omninò tamen reiecta operum mentione, in ijs potissimum elaboret omnis Euangelicæ prædicationis administratio, quæ Christi merita, non nostra, quæ diuinæ gratiæ amplitudinem, quæ *fidei potentiam maximè cōmendet mortalib⁹. Non quòd nihil interim omninò conferat pia sanctorum opera, secundū legē Dei suscepta, plurimū enim iuuant non eos modò, in quos conferuntur, sed Deo etiam pergrata existunt. Quo fit, vt non solùm laudem apud homines, sed præmia etiam apud Deum non pœnitendæ talionis pariant, sępeq́; maiori cū fœnore in ipsos autores refundi solent. Sit itaq; lex Dei sancta & perfecta, reducens animam, quam neq;

Fidei prædicatio.

**2. cor. 3. qui & idonaos nos fecit ministros noui Testamenti non litera, sed spiritus.*

Fructus & laus bonorū operum,

Psal. 19.

 nos

nos euellimus, sed stabilimus. Habeat pia bonorum sedulitas in excolendis Dei preceptis, suam & dignitatem, & mercedes in hac vita illustres & cumulatas, quas neque nos imminuimus, sed augemus, magisq; accendimus.

Quid enim ad praeclarè agendum, stimulos Christiano pectori admouere possit acriores, quàm quum ostensa diuina misericordia, intelligit quisque, quid quantumq; Deo primũ, deinde quid proximo Dei causa debeat. Aut quid naturæ, omniq; rationi conuenientius, quàm vt talẽ se quisq; ostendat erga alios, qualem ipse erga Deum fuisse, vel expertus sit, vel futurum esse confidat? Age, atq; vt istud cogitatione fingamus, eò recidisse hominũ mores, vt nulla omninò gratæ recordationis memoria, nullaq; rationis honestate commoueantur, quid an id putamus rigida disciplinæ asperitate, metuque supplicii, effecturos apud humana ingenia, vt plus agat lex apud eos ad imperandum, quàm mitis Euangelii vox possit ad impetrandum? Verùm vtut res hęc habeat, atque vt illud porrò largiamur, ad coërcendam peccandi licentiam, nullam superesse rationem aliam, nisi quæ sit in sola coactionis seueritate, quid dicemus, quum munificentissimus cœli pater gratuitæ misericordiæ suæ opes in omnes effundi promiscuè mandat, an nos silebimus? quumque pater ipse familiâs tam per se largus sit & liberalis, (vt refert Ianuensis,) an tenax erit eius dispensator?

Pia opera quatenus conducunt, quidq; efficiunt.

Iannensis in suo Catholico.

Denique

Denique vt paulò adhuc longius progrediar, fatearque quod verum est, nihil esse in rebus humanis, claritate virtutis splendidius, nihil excellentius, ideoque præclarum eos nauare operam, qui optimarum legum institutis, vitæque præceptis, mentes hominum imbuunt, atque à vitiis ad virtutis studium traducunt: quumque id concedam, in omni hominum societate, cum primis esse necessarium: tamen illud ab istis quæro, in tota hac vitæ fragilitate, quæ nulla lege, nullis præceptis expugnari prorsus poterit, quid his studiis nostris & laboribus, quantumlibet sanctis, consequemur apud Deum? Plurimum inquies: Et gratum Deo obsequium, & proximo necessarium præstamus officium, neque solũ nobis ipsis, sed & reipublicæ decus, magnamque sæpè incolumitatem, & defensionẽ apud Dominum, omnium piorum actionum fidelissimum remuneratorem, impetramus, iuxta clarissimum

Psalm. 19. illud τῦ ἱεροψάλτȣ testimonium. Etenim seruus tuus custodit ea, & in custodiendis illis retributio multa. Sit hoc ita sanè. Verum enimuerò, quũ hæc ipsa retributio præmiaque virtutum nostrarum vltra vitæ huius metas definitas, haud vlterius se porrigant, tum illud certè constat, quando vniuersa hæc simul congessimus sanctissimorum etiam hominum opera, factaq; quantumuis eximia, tamen, vt ad caput nunc rei perueniamus, hæc omnia simul aggesta in vnam molem officia, ac merita nostra, ad promerendam vitæ sempiternæ cum Deo, sanctisque angelis, immortalitatem,

talitatem, ad carnis obtinendam resurrectionē, ad extinguendam vim mortis & Satanæ, ad naturæ peccatricis expiationem: ad gloriam illam futuri regni nunquam desituri consequēdam. Ad hæc, inquam, tot tantaque perennis felicitatis bona, tam supra omnem naturam nostram, atque spem etiam infinita, ac incredibilia, haud quicquā omninò adiumenti conferunt.

Hic Christi solius labor, hoc filii Dei beneficium est, non meritis nostris debitum, sed gratuitò illius munere & fauore donatum, fideque nobis acceptum, nō operum ponderibus appensum, sæpeq; etiam indignissimis qui longissimè ab omni abesse spe videbantur, impensum: posthabitis his, qui meritorum maximè fiducia & opinione placebant sibi, pro libera ipsius gratia & dispensatione, qui vt solus est sanctus, solusque potestatem habet vitæ & necis, omnemque in cœlo & in terra autoritatem: ita solus posit largiri sua, quibus velit, quum nemini obstrictus ille, nec lege deuinctus aliqua teneatur. Nunc quum mentis is suæ apertam nobis sententiam, tanquam obsidem voluntatis perpetuæ, in Euangelio consignauit, testificans fore, vt qui in eum credant, se vita æterna regniq; sui gloria eos donaturum: quid piis igitur ministris, in hac re agendum, nisi vt obita fideliter legatione, pręceptoris imposita ipsis decreta exequantur? *Salutis æternæ origo vnde scateat.*

Quid, & postulabit Rom. pōtifex cum suis Tridentinis, vt euerso Christi Euangelio, quam ille vitam credentibus pollicitatur, nos ad ipsorum

decreta, operantibus proponamus? idque mercedis loco venditemus, quod ille gratis omnibus constitutum proposuit? aut æquum id esse putant boni isti patres, ipsis prius, quàm Christo vt pareamus? Testatur in Euangelio Christus ingenuè & luculenter: Fides tua te saluum fecit. Et nos contrà, opera tua saluti fuisse tibi dicemus? Tantum crede, ait ille, omnia sunt credenti possibilia. Et nos, inuerso doctrinæ ordine, operibus potiores tribuentes, omnia operantibus, non credentibus tantum possibilia pollicebimur? Quæso, qui defixi in Serpentem ahenum oculis suspectare solum iubebantur, quid eximii præstiterunt operis, quo sanarentur?

Iustificatio solum fidei propria.
Marc. cap. 9.

Denique quum sacra Euangelii institutio & multas & graues subinde cohortationes ad purissimæ sanctitatis cultum adspergere, multaque ad vitam rectè ducendam præscribere videatur, tum si quis finem ac scopum ipsum Euangelicæ auscultationis acrius attendat, haud aliud esse comperiet, quod mens & voluntas Christi Seruatoris, quod dicta factaque illius ac miracula omnia spectârint impensius, quàm hoc vnum maximè, vt ad fidem & cognitionem sui omnes pertraheret, quippe qui videlicet in hac ipsa fide, omnem consistere salutem & iustitiam nostram, persentiret. Itemque Paulus haud aliud ferè agens, tot suis epistolis, quàm disertè, quàm accuratè, in eo summa vi adnititur, vt omnem salutis nostræ rationem, iustitiæque

fiduciam,

fiduciam, non in lege positam, non operum præsidiis munitam, aut vlla laborum contentione comparatam, sed ex gratuita Dei voluntate promissam, Christi vnius opera expletam, solaque nostra in illum fide donatam atque acceptam demonstraret: non ita interim opera legis excludēs, vt eadem tanquam fructus & effectus, hominem fide iustificatum non consequerentur, sed vt ne causa essent iustificandi. Neque ideo rursus causam hanc iustificationis in fide collocans, quo minus postea piis per omnem vitam officiis incumberemus. Verùm ne incerta eorū fiducia abducti, iustitiam, quàm soli Christo acceptam debemus, aliter quàm in fide sola in ipsum coniecta statueremus. Eaque de causa, ex fide, inquit, vt secundum gratiam firma sit promissio. Quæ alioqui semper in ambiguo fluctuaret, siquidem operum niteretur perfectione: simulque eadem ratione fieret, vt promissioni nullus relinqueretur locus. Nam si ex lege in hæreditatem asciti sumus, inanis facta est fides, irrita facta promissio. Id quod alibi rursus totidem verbis idem ingeminat Apostolus. Nam si ex lege, inquit, hæreditas, iam non ex promissione. Et ad Romanos iterum in eandem sententiam: Si ex gratia, iam non ex operibus. Aliter iam gratia non esset gratia. At quid ita obsecro? num quia lex aduersus promissionem, aut gratia aduersus pia opera, tam diuersa inter se ratione pugnent

Opera bona non præcedūt iustificandū, sed sequūtur iustificatum.

Aug. de gratia noui testamenti cap. 3.

Rom. 4.

Rom. ibidem.

ad Titum. 3.

Occupatio.

vt consistere simul nequeant, quin altera elidat alteram?

Responsio Apostoli.

Audiamus respondentem apostolum, Μὴ γένοιτο, vt nequis putet hæc disiuncta adeò diuersitate inter se certare, quasi qui gratiæ partes tueatur, inimicus sit ilico Christianæ vitæ operibus, aut quasi qui promissionibus Dei inhæreat, idem diuinæ legis studiosus esse nõ debeat. Quid enim iis duobus coniunctius, Dei gratia, & piis operũ sanctorum fructibus? Quis Abrahamo fidelior? Quis eodem in omni virtutum genere excellentior?

Fides & opera quo modo inter se conueniunt, & non conueniunt.

Non igitur ista inter se simpliciter dissidẽt, sed pro obiecti diuersitate, ad quod referuntur. Quamobrem prudenti hîc cautione obseruãdus est quæstionis status. Neq; enim de homine hîc quæritur, an Dei imbutus gratia rectè debeat agere: sed de accipienda hæreditate quæstio est: Gratisnè ea obueniat immeritis, an promerentibus? Legenè, an promissione? conditione operũ aliqua, an singulari & sola sine operibus fide?

In quo perspicuè elucet pontificiæ doctrinæ sacrilega audacia, quæ inuita scripturæ autoritate, quod Christus, quod Apostoli, quod clarissima mens spiritus sancti gratuitò munere miseris mortalibus tributum, summaq; cum gratitudine, & libertate piarum mentium acceptam voluit: contra ius & fas, ad legis, ac operũ conditiones, callido quidem, sed perniciosissimo prętextu diuinæ tuendæ legis, restringãt. Ex quo vno fundamento pessimè ab illis posito, vix dici possit, quæ errorũ tenebræ, quã superstitiosi cultꝰ, quãta religio-

religionis labes, & confusa doctrinæ perturbatio, & iam ante aliquandiu in ecclesia Dei inualuit, atque hodie pias etiam conscientias miserè irretitas distineat.

At verò, inquies, ex hac doctrinæ licentia & impunitate proposita, quid tu aliud efficis, nisi vt vincula peccato laxes, vt preclaros hominum conatus ad capessendas virtutes cohibeas, à pia sedulitate, ad prauitatem atque inertiam pessundes? atque eodem simul modo omnium bonarum legum instituta, iustitiæ & honestatis decus, omnisque Christianæ disciplinæ vigorem simul extinguas? Quis enim ignorat maximã illecebram esse peccandi (vt ait ille) impunitatis spem? Vt compendio respondeam: posset hoc quidem quod obiectant, videri aliquo modo aliquid, siquidem in ebuccinanda hac, quam dicimus, Christi fide, ita omnis defixa nobis cura intenderetur, vt ad honestissima virtutum studia, & necessaria vitæ officia, non dignam simul vehementiam admoueremus. Neque enim excidere nobis possunt aut debent verba Apostoli, qui ait: Propter hæc venire solet ira Dei super filios inobedientiæ. Quamobrem quum æternas istas Christi opes, atque magnalia diuinæ gratiæ, ex euangelica præscriptione, ita attollimus, sicque in conspectum mediæ multitudinis defigimus, vt nihilominus in altera illa parte legis infulciendæ præstandæque obedientiæ, nihil prætermittatur à nobis officij, quid iam habent aduersarij, quod nobiscum expostulent: nisi

Obiectio cõtra doctrinã fidei.

Cicero pro Milone.

Diluitur obiectio.

Ephes. 5.

id fortasse postulent, in dispensandis mysterijs Dei, vitam æternam operantibus, vt aiunt, ita proponendam esse, vt interim fidei, Christi, gratiæ, promissionis nulla audiatur mētio. Namque illud esse videtur, quod tanta contentione suaues isti homines ac docti moliuntur. Declarat id tota hæc, quam profitentur, doctrinæ formula cunctæque monachorum conciones: quin neq; doctrina solùm, sed vita, omniúq; actionum institutio haud aliud indicat.

Doctrinæ pōtificia summula.

Quid enim loquuntur aliud satisfactiones istę expiatoriæ, Missarū sacrificia, indulgentiarum auctiones, tot tantaque suscepta longinquarum peregrinationum itinera, tot comparata precationum & aduocationum præsidia, vota monastica, nundinationes purgatoriæ, tot religiosorum regulæ, ordinum grauamina, constitutionum & præceptionum humanarum nec numeranda nec ferenda onera, extructa pro redemptione animarum (ita enim loquebantur) monasteria, rosaria, exequiæ funebres, nocturnæ næniæ, cæteraque supererogationis partim debita, partim indebita, spe merendi concepta, varij generis opuscula? Cedò, quis vnquam Francisci, Benedicti, Brunonis, Brigittæ regulam iniisset, aut cucullam induisset, vel iam indueret, si in Christo solo, non in hominum meritis sartam tectam salutem suam statueret? Quis vnquam istorum in perpetuam monasticæ austeritatis solitudinem se abdidisset, aut voto nunc sempiternæ à cibis, atque à coniugio abdicationis, Nazaræorum ritu, se obstringeret, si Christi solùm

nixus

nixus præsidio, nullam sibi aliam adipiscendæ salutis spem proponeret? Denique quis non infinita hoc genus alia humanarum traditionũ tædia, ac parerga, nõ toto nausearet pectore, si nulla re alia se tutũ apud Deum, quàm fide sola, quę est in Christo Iesu, certò crederet.

Vnde non omnino nihil is dixisse videtur, quisquis ille bonus est, qui in iustitiæ libris, ita de iustitia disputat: Si fides, inquit, sola sufficit, siq́; omnis actio, quam suscipimus, inutilis sit & maculata, planè consequens est, vt omnes qui cõmẽtitiam hãc fidem complectuntur, operũ studium penitus omittant &c. Atq; equidem verissimum hoc esse fateor. Vbicunq; enim ex fide sola salus docetur gratuita, fieri non potest, quin operum illic languescat feruor. Sed quorum obsecro operum? Cuiusmodi nimirum pręscribit nobis Romana sedes. Sin de his agatur operibus, quæ sanctissima Dei lege præcipiuntur, tantum abest, vt sola fides eorũ quicquã studiũ imminuat, vt multo etiã reddat ad præstandũ officium alacriores. Quod vt cõmonstremus, vel illud sat argumenti fuerit. Etenim si hæredes nos vitę æternę, singulari sua gratia cõstituat cœlestis pater, ita vt salus ęterna nõ aliter nostra existat, quã filio debetur, in re ciuili, hęreditas sui patris (attestante D. Paulo, qui omnes nos filios Dei per fidẽ Christi existere, & secundũ promissionẽ hęredes cõfirmat) tũ hoc mihi respõdeat pręclar⁹ hic iustitię disputator, vtrũ segnior is sit, ad exequẽdã patris volũtatẽ, filius parta iam hęreditate: an stipendiarius quispiam

Osor. de Iustitia li. 7.

Ex prædicatione euangelii studium diuinæ legis non minui, sed augeri potius.

Gal. 3.

quispiam alienigena mercede conductus, aut metu adactus.

Comparatio inter prædicatores legis, & euangelii: atq; inter eos q. nihil aliud inculcant nisi legis iustitiã & opera.

Age, conferamus nunc etiam exempla istorũ, (quorũ omnes conciones nihil ferè spirãt aliud, nihil auribus insulciunt vulgi, nisi sola legis opera), quibus tandem illi ipsi operibus studeant, quanta in vita eorum castitas, in moribus sanctimonia, in animis expers omnis supercilij humilitas, nullius cõscia ambitionis modestia, in iniurijs ferendis quæ moderatio, quàm flagrans erga Christi gloriam studium, erga proximos dilectio. Sed bene habet, quando vita ipsorum, cuiusmodi sit, omnium in oculis eluceat, satis iam satis explorata. Neque enim ita confessionis silentio facta eorum conteguntur, vt non omnium ferè hominum fabulis & execrationi pateant: certè Dei oculos nec fallere possunt, nec iudicium effugiẽt, nisi fides magis Christi sola, quàm vlla ipsorũ opuscula, eos subleuet. Quanquam de moribus istorum non adeò hic laboro. De doctrinæ erroribus, de corruptæ religionis peruersitate, omnis suscepta hæc cum illis contentio est. De qua quid alii sentiant, haud noui. Mihi propius fixiusque perlustranti densissimas istas tenebras, sordes, paleas, καὶ τὰ καθάρματα errorum, doctrinæ absurditates, opinionum venena, in cultu impietatẽ, constitutionum laqueos religionum & religiosorum portenta atque prodigia, quum fontes denique euangelicæ puritatis atque Apostolicæ prædicationis, fœdissimum in modum per istos, autore maximè pontifice Romano

Romano, vitiatos perpendo: subijt nonnulla in animum dubitatio, grauiorem ne Christiano nomini cladem Turcarum vis, an Christi euangelio maiorem fraudem dogmata attulerint pontificis. Pluresné illorum enses, an istius ignes Christianos exhauserint, aut insidiosæ conspirationes extinxerint. Quin neque adhuc grassari desinit, sed multo pergit atrocius mitis & catholicus hic pater, non in animas modò, sed in capita etiam Christianorum, quouis Turca truculentius cœdes & ruinas bonorum cumulare.

Cuius rei si causa iam perquirenda sit, scire abs te petimus, per ter sacram mitram, O reuerende, quæ te res, quæ ratio huc induxit primum, sique adhuc impellit ad tantam rabiem hanc & intẽperiẽ? Quid habes? quid adfers? quid ædis? in quo vel nos meritò criminari queas, vel in quo non ipsi multo te ipsum grauiùs incusare debeamus? Quid in te quisquam commeruit istis dignum tragedijs? Quid? an vllam in te vim vnquã moliri sumus, aut vitæ tuæ insidias vnquam struximus? An te vrbe tua, aut sedibus dimouêre aliquando pertentauimus? Et quur nobis per te non licet in sedibus nostris cõsistere? Facis enim quod in te situm est, vt non modò nos vrbibus & patria, in qua viuimus, sed vita etiã ipsa exuas. Senserunt hos tumultus tuos & tuorum, cum sæpè aliâs aliæ permultæ nationes, tum non ita pridem & Gallia, & Flandria, ipsaque Scotia, tum autem nuperrime vicina illi Hybernia, vt de viciniore etiam Anglia nihil referam, quę fraudu-

Pontifex immerito contra ecclesias Christi desaniens.

lentis tuis tuorumque insidijs captari, grauiterque modò periclitari videtur, nisi contra perfidiam, cœlestis succurrat pietas. Quid enim an latêre nos, Laterane pontifex, arbitrare, satis callidè captata tua consilia, quid egeris, quid agas, quò tendas, quos petas: quid ipse cum tuis, quid cum exteris agites, quid ipsi tecum consusurrêt? Atque vt hæc nos omnia fugiât, quæ vos nocte tegitis occulti silentij: quid, an diuini numinis ita perstringetis oculos, vt tenebræ istæ & latebræ vestrarum agitationum, non luce clarius ipsi pateant? Quæso verò, si Turca ipse pro pontifice adesset Romæ, omniaq; sua consilia ad pios perdendos instrueret, quid funestius in nostram cõparare perniciem potuisset? Aut si Turcæ nos, non Christiani essemus, nunquam ipse potuisses maiore nos odio prosequi, & persequi.

Sed sisto querelas, licet iustissimas, vt, quæ ad rẽ propius pertineât, persequamur. Video enim, tota hæc contentio tua, & turbulentæ infestationes, quò tendunt denique. Nempè, vt ad doctrinam, & fidem, quam catholicã appellas, vel insidijs nos attrahas, vel inuitos cogas. Age, & quænam illa doctrina sit catholica, ad quã vocas, scire abs te flagitamus. Vt iam contentiosum illum agendi impetum remittam paululum, sicque tecum loquar, non vt odio in te permotã videar, quo debeo, sed vt æquitate, omnique ratione & veritate ipsa, velut in publico iuditio, rebus magis, quàm verbis tecum disceptem. Puta igitur, Romane pontifex, non te iam Romæ ver-

mæ versari, tanquam tuæ ipsius causæ iudicem: sed in publico aliquo ac generali Concilio, tanquam reum ad subsellia Christianorum principum, apud quos iamdudum consistere te oportuisset, ad cognoscendam causam. Age igitur, vir quæso ingenue ac sancte, per sanctum Petrũ, qui te fidei rationem reddere iubet petentibus, quænam ista tandem fidei formula sit, quam nobis sic obtrudis, publicè ac liberè, populus vt intelligat, facito.

Quid, an hoc primùm vis à nobis cõtendere, *Primatus* vt Rom. Papã Christi in terris vicarium, vnicũ *papæ confu-* Christianę vniuersitatis dominũ agnoscamus? *tatus.*

At id primum refutat Dominus ipse, qui dominatum regibus gentium assignat, Apostolis ministerium addicit, magisterium interdicit. Non ita, inquit, erit inter vos: sed qui voluerit *Luce, 22.* inter vos magnus fieri, sit vester minister. Quæ apertior euidentia? At enim ex aduerso produ- *Mat. 20.* citur D. Petrus, qui princeps arguitur fuisse apostolorum. At quid ego audio? Petrus an vnquam principatum sibi vendicabat in Apostolos, aut vniuersalem τὴν δυναστείαν in reliquum Christianorum cœtum vnquam affectabat? Aut si fecisset, id vnquam tulisset dominus, qui neque sibi ipsi tale vnquam aliquid arrogabat, nec in cæteris discipulis perferre potuit, imò verbis, signis, exemplo, modisq; omnibus apertissimè interdixit? Et tu post hæc omnia tam expressa, tam clara, & constituta, in Christi ecclesia adhuc de principatu somnias?

Diuorum inuocatio confutata. Quid aliud? vt Diuos & Diuas Romano Canone in sacrum relatos kalēdarium, genibus colamus, votis inuocemus, apud Deum aduocatos & intercessores comparemus? At scriptura sancta non nisi vnicum duntaxat aduocatum in cœlis designat. *Heb. 7.* Semper, inquit, viuens, ad hoc, vt interpellat pro illis.

Imagines & signa Diuorū Vt signis & imaginibus procumbamus? vt peregrinemur ad statuas? A nulla re vehementius auocant sacræ dei liter æ.

Vota Cœlibatus. Vt libera coniugij facultas, & ciborum esus, sacrorum ordinum candidatis interdicatur? Doctrinam dæmoniorum vocat Apostolus.

Missarum solemnia. Vt Missas, vt propitiatorias operationes diluendis offensis adhibeamus? Sacrilegium est aduersus Christi officium & gloriam, qui solus in scripturis propitiatio statuitur pro peccatis nostris.

Satisfactiones piaculares. Vt auriculari confessione, vt iniunctis satisfactionibus, vincula laxentur peccatorum, flāmæque extinguantur purgatrices? Secus instituit nos scriptura euangelica, quæ nullam nouit expiationem præter solam Christi victimam. Et ipse, inquit, propitiatio est pro peccatis nostris. *1 Ioan. 2.* Et Petrus: Vt in nomine eius remissionem *Act. 10.* accipiant peccatorum, quotquot credunt in eū.

Ad eundem modū ex Euangelicis audimus documentis, fide nos iustificari absq; operibus. At aliud sonat tuba pontificia, quę cum fidei vix tenue initium tribuit iustificationis, perfectionem integram transfert in opera.

Clamat Christus. Qui credit in me habet vitã æternam. Clamant pontificij, non aliam esse in cœlum viam, nisi quæ est sanctis actionibus & excellenti vitæ integritate munita. Clamat Paulus: Ipse est iustitia nostra: iustos innuens esse, quotquot Christi sunt. Reclamant isti, iustos nos existere, non ea ratione, qua Christi sumus, sed qua iusti sumus. Quanquam neque id ipsi fortassis denegabunt, Christum iustitiam esse nostram: at quo modo nos iustificat ille, non agnoscũt. Ille fide, isti operibus: Gratis ille, isti non nisi charitatis conditione: Ille quum perinde nos sanat, vt serpens olim vulneratos, quod solo intuitu peragebatur, hoc isti in Christo nullo modo ferũt.

Osor. in epist. ad Reginam Angl.

Iustitia per fidem.

Iustificatio gratuita.

Præterea, quum scripturæ verbis doceamur, perfectos effici vnica oblatione, qui sanctificantur in æternum: Negat pontifex, vnicam satis oblationem esse, nisi in missis expiatoriis quotidie Christus in sacrificium patri offeratur.

Vnica oblatio.

Christus cœnam instituens in corporis sui memoriam & sanguinis, cum pane calicem simul vniuersim destribuit, & distribuendam docuit. Aliter præcepit pontifex, sine calice, alteram duntaxat partem populo administrandam.

Cœna pontificia sine calice.

Christus terras relicturus, alium paracletum pollicetur se missurum, ne quomodo ecclesiæ deesset, qui vices suppleret absentis: Et pontifex non contentus spiritu Christi sancto, quem Tertullianus Christi appellat *vicariũ, sese vicariũ Christi audebit nominare: aut nos credemus?

Spiritus sanctus vicarius Christi.

*Tertullia. de præscrip. aduersus Hæretic. In cœlos ereptum sedisse ad dexteram patris, misisse vicariam vim spiritus sancti, qui credentes agat.

Christus finis legis. Negat Paulus iustitiæ Dei subijci eos posse, qui propriam quærunt. Et qua spe Romanenses isti, qui tanto studio propriam captant iustitiam, diuinæ compotes se futuros arbitrantur? Docet idem, Christum legis finem esse ad iustitiam omni credẽti. Atquî præclara ista καλοδιδασκαλία Romana, ad quem tandem finem nos ducit, aut quo itinere ducat, videamus. Certè non à lege ad Christum, non ab operibus ad fidẽ, non à fide ad iustitiam: sed præpostero cursu, perinde ac si finis legis non Christus, sed Christi scopus esset lex, à fide ad opera, ab Euangelio ad legem, à spiritu & veritate ad vmbras, ad vestes, vnctiones, rasuras, aspersiones, ad gestus, ad ceremonias, ad ritus, ad externas formas, ad obseruationes locorum, temporum, personarum & successionum, ad traditiones & præscripta hominum, ad pœnitentiarias satisfactiones, ab his ad iustitiam, à Christianismo ad Iudaismum traducit, ita vt præter circumcisionem, nihil desit, quo Mosis discipuli, magis quàm Christi esse videamur.

Romana doctrina finis & scopus.

Ignota lingua sine ædificatione. *Ioan. 5.* Iubet alicubi Dominus, scrutari nos scripturas: quoniam ipsæ, inquit, testimonium ferũt de me. Id pontifex vetat, qui nec domi legere, nec in templis audire populum permittit, quid vel in Baptismo promiserit, nisi ea lingua, quam non intelligit.

Matt. 24. Non fert in Euangelio Christus, qui dicant, ecce hîc Christus, ecce illic Christus. Et quid aliud, si non verbis dicat, ipse verò re pontifex factitat

ctitat, qui omnes in vniuersum Christianos ad sedem Petri mittit: quam ipsam sedem nusquam nisi Romæ defigit, quasi nusquam habitet Christus, aut Petrus præterquam in vrbe Roma, aut certè presentius illic, quàm vsquã alibi. Eiusdẽ delirij est, quòd quum omnis diuini cultꝰ ratio, nec montium sublimitate, nec vrbium celebritate astringitur, sed rectissimè illic colitur cœleste numen, vbicumq; spiritu & veritate colitur: longè diuersa ratione pontifex spiritualem hunc numinis cultum, non solum cum innumeris idolis, & formis rerum externarum partitur: verumetiam in varias & infinitas peregrinationum, stationum, montium, tẽplorum, & locorum sedes distribuit, perinde ac si parum posset sola Christi per se autoritas, nisi diuorũ adiuta suppetiis, aut quasi non idem valeret Christi presidium, quocũq; in loco, pari religione inuocatũ. Sic qui limina adeunt beatorũ Apostolorum, aut qui diuum Iacobum inuisunt Cõpostellę, qui vel virtutem sanctorum vno in loco præsentiorem esse putant, quàm in alio, quid aliud dicũt, quàm, ecce hîc Christus, ecce illic. Quod si tales adoratores pater quærit cælestis, qui spiritu eum adorent & veritate, quorsum opus tanta stationum, & sacrarum sedium præscriptione, tot tantisq; huc illuc cursitãtiũ, peregrinãtiũ, religionis ergo itineribꝰ?

Peregrinationes idolatricæ.

Aperui hactenus pontificiæ religionis aberrationes, si non quas potui omnes, at quantum instituto abundè sufficere posse videatur. Nunc vt pontificẽ ipsum propiùs ducam domũ, ad ori-

ad originem suæ stirpis eum reuocabo, ad diuũ ipsum Petrum, vt quem sedis suæ autorem iactitat, eundem contra se testem & doctrinæ aduersarium habeat. Idque primum à bono hoc pontifice percontor: Vtrum inter Apostolos referendus sit D. Petrus? Non negare video. Pergo, quæroque deinde, an in ordine eorum Apostolorum fuerit Petrus, quibus dictum est: Ite in mundum vniuersum, prædicate omni creaturæ? Si affirmes, quod inficiari non possis, peto nunc an idem sit ordo Apostolorum, qui Episcoporũ esse dicitur? Si diuersæ sint functiones, quomodò in vnum cadere Apostolum, munus vtrumq; potuit, vt & Apostolum præstaret Petrus, & episcopum? Tum scire aueo: Si Christus Petrum cum reliquis simul Apostolis in orbem vniuersum ablegauit, quî constare id posit, vt certum ei locum aliquem designaret Dominus, vbi desidêret ille, qui nulla descripta sede, ire, non sedere, in orbem, non in vrbem missus à Domino fuerat, nisi fortè vrbem Romam, mundum interprætemur vniuersum: quique Romæ sedet, in mundũ proficisci vniuersum existimetur? Nõ: sed Linũ, inquies, Romæ Episcopum Petrus statuerat. Fieri potest, at quid tum postea?

Petrus Apostolus Episcopus Romanus fuisse negatur.

Apostoli & Episcopi diuersæ functiones.

Itidem & hic ipse Petrus Hierosolymis diu multumque docuerat, in qua vrbe Iacobus cognomento iustus, à Petro, Iacobo, & Ioanne, Episcopus delectus dicitur. Neque tamen quisquam propterea Iacobum Petri successorem vnquam dixerat. Neque porrò Timotheus nec Ti-

Romanus episcopus Petri successor falsò creditur.

tus Pauli successores ex eo habebantur, quòd Episcopi sint à Paulo ordinati: nihilo magis quàm si pōtifex nunc Romanus Archiepiscopos, episcopos, aut Cardinales Romæ instituerct, hoc ad successionē institutoris quicquam pertineret.

Sed de successione satis iam antè disputatū est. Nunc quoniam non de sede Petri, sed de eius doctrina agitur, cum illius documentis, Romanæ nunc sedis instituta componamus. Quæ quantum à recta illa norma Apostolicæ disciplinæ defluxerint, vel hinc liquere poterit: quòd quum Petrus grauissimis verbis eos hortatus sit, qui sermonem tractant Euangelicum, vt cum omni mansuetudine & reuerentia sese submittāt ijs, qui dignitatis autoritate à Deo donata præeminent, siue reges sint in summa potestate constituti, siue principes, aut præsides ad res populi administrandas à Deo missi: Contra hunc Petri canonem, Romana praxis ita mandat, vt regibus omniq; legitimo magistratui subditi dicto quidem sint audientes, in rebus cum Dei mandato, aut papalibus decretis non pugnantibus. Ex qua tamen obedientia vsque adeò ipse se eximit papa, cum suis Episcopis, vt referre pudeat, quàm flagitiosè, non solùm regum & Imperatorū iugū ipsi ceruicibus excusserint, sed quàm superbè imperium etiam in ipsos exercuerint, ceruicibus insultarint, regno eos excusserint, sceptra & coronas transtulerint.

Pontificia doctrina quā tum ab Apostolica disciplina deflexit.

2. Pet. 2.

Sed hæc multaque prætermittens alia, venio nunc ad Sacramenta. In quibus, quum multa ab

De Sacramentis.

his defenduntur preter scripturæ sacrę synceritatem: tum nescio quomodo hæc hominũ peruersitas in rebus per se lucidissimis cœcutientium, nulla in re vnquam erupit insignius, quã in cœna dominica. Tot in eam confluxerunt errorũ absurdissimorũ prodigiosa somnia, & deliria, quæ satis nunquam mirari poterit posteritas. Quid enim absurdius, quàm è Sacramentis similitudinem & conuenientiam expungere, in qua omnis cernitur & vertitur quàm maximè sacramẽtorũ ratio? Quid ab omni non scripturę modò analogia, sed ab omni ratione & sensu cõmuni alieni*, quàm quod ad gratam commemorationẽ aptissima significatione sit cõparatum, id ad cultũ & latriam conuertere? Quid insulsius, quã signa pro rebus ipsis amplecti? Quid importunius, quã fidẽ cogere contra ea, quę cernunt oculi* sensusq; omnes deprehendunt manifestè, nec vlla subest, quæ non modo fidem cogat necessitas, sed nec vlla etiam probabilitas? Scio omnipotentẽ Christi, in ædendis miraculis virtutem. Sed vbi is miraculum vnquam ædit, aut exigit, vbi * sensus ipsi non astruxerint miraculo fidem? Cum aquã vertisset in vinum, non prius credebatur, quàm sentiebatur miraculum. Apostoli Christũ è monumento resuscitatum oculis intuebantur, loquentem audiebant, manibus contrectarunt, sensibus denique prius, quàm fide eum recipiebant. Ita & nos hodie, quamuis eum non cernim⁹, resurrexisse credimus, recteq; credimus: sed non nisi ab his persuasi, qui viderunt, alioqui nunquã credituri. Iam verò quod nec ratio, nec causa vlla cõprobauit,

De cœna domini mystica, corruptissimi Romanensiũ errores.

** Aug. ad infãtes, citatur a Beda. 1. Cor. 10.* Quod videtis panis est, & Calix, quod & vobis etiã oculi renunciant.

** Aug. de trinitate lib. 3. Cap. 9.* Quæ propriè miracula sunt, ad aliquid diuinitus annũciãdũ sensib⁹ nostris adhibentur. Hic nihil nostris sensib⁹ annunciatur: Ergo nullum

probauit,

probauit, cui sensus etiam contra renitũtur, quòd hic sit diuinitus miraculũ. nec scriptura, nec Christus ipse vsquã nos credere, sed manducare solùm iussit, cuius dementiæ fuerit, id in fidei materiam vertere, cogereq; illic miraculum, vbi nulla vnquam miraculũ vel caussa doceat, vel monstret * euidentia?

Aug. Epist. 57 ad Dardanum. Vereor ne ipsis sensibus nostris facere iniuriã videamur, quando in loquendo suademus, vbi omnes vires, officiumque sermonis facillimè superat veritatis euidentia.

Postremò, quum nihil sit scriptura diuina in explicandis fidei mysterijs figuratius aut inuolutius, cuius id inscitiæ fuerit, quod ad tropicam intelligentiam referendum sit, id literæ tribuere? præsertim quum Apostolus Paulus literam homicidam. Christus carnem omninò inutilem: * Augustinus etiam carnalem literæ sensum tam periculosum esse admoneat, in ijs quæ figurata in scripturis occurrunt, vt nulla mors animæ congruẽtius posset appellari, quæ & à Bernardo mors in olla dicitur. Quod si verò tropica scripturæ loquutio locum vsquam habeat, vbi locus ei conuenientior, quàm in Sacramentorum mysterijs?

Scriptura mystica typis & tropis mysticis referta. *2. Cor. 3. Ioan. 6.* *Caro non prodest quicquã.* *Aug. de doctrina Christiana Lib. 3. Cap. 5.* principio cauendum est, ne figuratam loquutionem ad literã accipies. Ad hoc enim pertinet, quod ait Apostol⁹: Litera occidit. Quũ enim figuratè dictum sic accipitur, tanquã propriè dictũ sit, carnaliter sapitur. Neque vlla mors animæ congruentius appellatur, quã cum intelligentia carni subiicitur, sequendo literam.

Cum tropicam dico, inquit Hieronymus, doceo verum non esse, quod dicitur, sed quod allegoriæ nubilo figuratur. Veluti quum in Sacramentis, aqua renasci, corpore Christi pasci dicimur. Quis tam nulla est mẽte præditus,

Hieronymus contra Ruffinum.

Origenes homil. 7. in Leuiticū. Si secundū literā, sequeris id, quod dicitur [nisi manducaueritis carnē filii hominis, non habetis vitam in vobis] litera illa occidit.

qui* ad carnalem sensum ista detorquens, quæ figuratè ad mentem referuntur, vel corpore nos renasci, cum Nicodemo: vel carnaliter Christi carne saginari, cum Capernaitis putet? Age, & quid rectius hodie sapit papistarum vulgus in ijs, quę de sua trāsubstātiatione à magistris acceperunt? Sic enim dogmatisant pręclari isti* Christifices: Quod panis modò erat ante consecrationem, mutata nunc substantia, panem non esse, quantūlibet panis videatur, sed in ipsam Christi carnem humanescere, atque æternum Dei filium fieri, fide certissima credendum contendunt. Quid absurdius? At quid ita obsecro? Quia nimirum dixit Christus: Hoc est corpus meum. Nam quatuor ijs verbis, conficitur apud eos vniuersa hæc transubstantiationis moles. Quid & nihil aliud pronunciabat dominus, quàm quatuor has solùm voces? Et quid si Hębraicè loquutus, duabus tātum vsus sit ille, more gentis illius? (Zoth guphi) quandoquidē verba substantiua ea lingua plærunque negligit.

Christifices papistæ quàm absurde panē vertunt in carnem & humanitatē Christi.

Papistæ omittunt circumstantias verborum cœnæ.

Verùm, vt quatuor hæc aut quinq; admittamus, quid, an nihil his prætereà subiunxerat? an nihil præcedebat aliud, quod vim explicaret sententiæ? Et cur prętermissis circumstantijs, non integram igitur reddunt isti? Cur truncatim citant? Cur in propositione Christi, mediam eius partem elidunt, ac submussitant, vnde maximè elucescat vis sententiæ? Neque enim quum corporis mētionē faceret dominus, ideo corpus hoc suum fecit, vt manducaretur: sed panē prius accipere

pere, & mãducare iubet, accipite, inquit, & mãducate. Moxq́; facta corporis mẽtione: hoc esse corpus suum dicebat, at non simpliciter tamẽ, sed adiũxit continenter, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον κλώμενον, quod pro vobis datur, frangitur: quo nimirum significaret, non ipsam simpliciter corporis sui substantiam, sed corporis sui traditionem, & sanguinis effusionem, nostrum fore pastum. Atque hinc omnis fluit erroris origo, quòd quũ Dominus de vi & virtute passionis suæ innuebat, id isti ad carnis solùm substantiam accommodant, quasi verò ipsa per se caro Christi, & non sola passio carnis nos pasceret. At quomodò, inquis, pascit nos ipsa carnis passio, quæ non manducatur? Nempè, eodem modo, quo pascit nos mors Christi, eodem & manducatur, non carnali modo, sed spirituali: Non quum dente premitur, sed quum mente sumitur. Tum enim pascit nos Christi mors, quum reficit: tum manducatur, quum fide arripitur, & vulneribus nostris applicatur.

Luce.22.
1.Cor.11.
Verba Christi: hoc est corpus meum, ex circumstantiis considerata.

Non caro Christi propriè: sed carnis passio nos pascit.

Paschal.c.43
Idcirco cogitãdum nobis est, non quantum dẽte premitur, sed quãtum fide & dilectione capitur, &c.

Quæ autem vis illa sit & efficacia mortis Dominicæ, in pascendis, refocillandisq́ue mentibus nostris, qui scire velit, nusquam facilius, quàm ex hoc ipso sacramẽto addiscere licebit, si singula exploret accuratè. Venis siquidem ad cœnam Domini, in qua vides primùm quid ille manibus acceperit: Accepit Iesus panem, moxq́ue peractis gratijs, acceptum diffregit: Cur ita verò frangere voluit? Nempè vt distribueret. Quibus autem distribuit? non vni scilicet integrum

Mat.26.
Fructus passionis domini, nusquam melius, quàm ex sacramento Eucharistiæ ostenditur.

panem, ſed in ſingulos ſingulas partitus eſt portiones. At in quem finem diſtribuebat, vt ſeruarent manibus, aut thecis reponerent? Minimè verò, ſed vt manducarent, biberentque ſinguli. Quid, ore nē externo, an nō? haud dubiū id quidem. Quod quum ita ſit per ſe confeſſum, vel ea res ſatis documento fuerit: *non corporis, ſed panis ſubſtantiam externam fuiſſe, quum alioqui corporis humani natura humano paſtui nullo modo conueniat, reclamante non ſolùm natura ipſa, ſed dei etiam lege quàm maximè reſiſtente.

* *Cyprian. de cœna.* Manſio & incorporatio noſtra in ipſo, eſt manducatio, & potus, quo nō corporali ſed ſpirituali tranſitione Chriſto vnimur, & corpus eius efficimur. &c.

Habes hactenus, quid foris hic geſtum ſit: aperi nunc viciſſim mentis oculos, vt quid * intus ſub his rebus lateat myſterij occultioris, quidq; Dominus intelligere ex hac cœnatione voluit, perſpicias. Eſt enim aliud in hac cœna, quod oculis ſubijcitur, aliud quod myſterio clauditur. Quid autē id myſterij ſit, diuina vox ipſa abunde illuſtrat, ijs verbis diſcipulos admonens: Accipite, inquit, & manducate, hoc eſt corpus meū, quod pro vobis datur. Hoc facite, quotieſcunq; feceritis in mei recordationem. Quid hac cœnæ interpretatione expreſſius? ſi verborum rectè appendantur circumſtantiæ. Hinc enim quis non videat fructum dominicæ paſſionis manifeſtè *ſignificari, quū in ipſa manducatione dicat ipſe, Hoc eſſe corpus ſuū, quod neci pro nobis datur. Alioqui quorſum illud ad-

Auguſt. contra Maximū cap. 22. Hæc ſacramenta ſunt in quibus non quid ſint, ſed quid oſtēdant, ſemper attēditur: quoniā ſigna ſunt rerum, aliud exiſtētia, aliud ſignificantia.

* *Gelaſius cōtra Neſtorium.* Imago & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebratur.

illud adderet τὸ διδόμενον, nisi vt * mortem sui corporis, potius quàm substantiam discipulis spectandam proponeret? acsi ita * diceret: Tempus iam adesse, quo corpus meum in mortẽ dari oporteat, non mea causa aliqua, sed vestra: quod vobis cedet in æternæ vitæ emolumentũ: haud secus atque panis hic, modò quem fractum vobis distribuo ad manducandum, corporibus vestris suppeditat vitæ alimoniam. Accipite igitur, quod vobis singulis communico, & manducate, simulque in eo considerate, non iam panem ipsum, qui foris pascit: sed corpus meum, quod pro vobis traditum & morte affectum, intus multoque melius nos saturabit ad vitam æternam. Est enim caro mea, quam ad mortem daturus sum pro mundi vita, verè cibus, & sanguis meus verè potus. Non enim tam viuunt cibo & potu vestra corpora, quàm intus pascuntur animæ vestræ carnis meæ passione, & effusione sanguinis, sine qua nulla constabit vobis peccatorũ remissio, nulla carnis felix resurrectio, nullę vitæ æternæ participatio. Sit hoc igitur, quod in cœna hac vobis datur, perpetuum apud vos sacramentum eius, quod pro vobis daturus sum. Daturus sum enim pro vobis corpus meum in manus inimicorum: cuius hic do in manus vestras sacramentum.

*Mors corporis, non substantia corporis in cæna spectanda.

Mens domini in verbis cœnæ expenditur.

Chrysost. ho. in Mat. 83. et 60. ad populum Antioch. Quod dixerat, vt ostenderet passionem & crucẽ esse hoc mysterium, vtq; discipulos hinc consolaretur.

Ioan. 6.

Ex quo vides, pie lector, duo esse, quæ à Christo dantur, alterum nobis, alterum pro nobis, illud ad manducandum, hoc ad crucifigendum. Illud

Corpus Christi duobus datum modis:

& nobis, & pro nobis: illud in cœna, hoc in cruce: illud ad mãducandum, hoc ad crucifigendum.

Corpus Christi in cœna datum, at nõ corporibus hominum, nec corporaliter.

Vnum idemq́ Christi corpus, quod in cœna dabatur, & in cruce: non eodẽ tamen modo, nec tempore, nec iisdẽ personis.

In sacra synaxi, neq́ solus panis sine

Illud in cœna, hoc in cruce. Quod autem in cœna dabatur, si materiam quæras, panis erat, & sacramentum corporis: Quod in cruce dabatur, corpus erat, non sacramentum. Quid igitur, inquies, an non corpus dabatur in cœna? Dabatur quidem Christi corpus discipulis, at non corporibus discipulorum, nec corporali modo. Hoc enim modo Iudæis dabatur, non in cœna, sed in passione: in qua corpus ipse suum dedit corporaliter, non discipulis, sed pro discipulis. Quod igitur pro discipulis dedit, corpus erat: Quod discipulis dedit, gratia erat corporis. Vnum tamen idemque corpus erat, & in cœna, quod discipulis, & in morte, quod pro discipulis datũ est, non vno tamen modo, nec eodem tempore, In morte enim pro illis ad mactandum, idque corporaliter. In cœna datum est illis Christi corpus, non ad mactandum, sed ad manducandum, non corporaliter, vt corporibus illud violarent, sed intimis eorum animis, vt manducarent, sacramentali videlicet perceptione non corporali. Non negatur itaque corpus Domini in cœna datum, & manducatum esse, sed nõ solùm tamen corpus, verum cum corpore coniunctum simul sacramentum. Quorum alterũ ad corpora nostra, alterum ad animas pascendas attinet. Quod corporibus sumitur, & panis est, & sacramentum corporis. Quod animis intus exeditur, corpus ipsum est, non sacramentum corporis.

Cùm igitur duo simul ista necessariò occurrũt in sacra cœna, quorum alterum carere altero

non

non possit, nos ita vtrumque cum altero coniungamus, vt neque corpus Christi à sacramento diuellamus, more papistarum, qui ita defixi sunt in solam corporis substantiam, vt nullam sacramenti materiam relinquant, præter chimericas & immateriales, nescio quas species in aëre suspensas, quæ nihil ad rem faciunt: Neque ita rursus sacramentum à corpore seiungamus, vt nihil in cœna sacra præter nudum signum admittatur. *Christi corpore, neq; solum corpus sine pane sacramentali.*

Verùm in hac coniunctione, dextra quadam opus est animaduersione, vt quo modo coniungenda sint ista, quomodo rursus segreganda prudenter intelligamus. Neque enim quod in externos sensus incurrit, & in ventrem transmittitur, caro Christi est: neque quod spiritu & mente suscipitur, panis est, sed corpus ipsum Domini. In quo triplex emergit error hominum, perperam de Eucharistia iudicantium. Primus eorum est, qui præsens Christi corpus ita in cæna commiscent, vt vtrumque ab ijsdem simul vescentibus, vno eodemque ore manducari corporaliter arbitrentur. Hosque synusiastas vulgo dicimus. Alter est τῶν μετουσιαςῶν, qui omnem panis substantiā ita exturbant, aut transmutant in corporis substantiam, vt nihil supersit præter solam Christi carnem, quod edas. Atque istorum opinio, huc euadit deniq;, vt nihil in sacramento corporale præter Christum admittant, vt sacra iam res existat Eucharistia, sacramentum verò sacræ rei nullum existat:

Triplex hominum error circa sacramentum corporis.

Synusiastæ.

Metusiastæ.

T quando-

quandoquidem ad constituendam sacramenti rationem, duę omninò res accedant necessariò oporteat: quarum altera foris dispensetur, altera intus concipiatur, altera res terrena sit, altera cœlestis: altera exprimat, altera exprimatur.

Tertius error Tertius eorum verò error est, qui panem symbolicum ita in sacramento constituunt, vt nihil præter nudum signum relinquant: quos *Significastæ.* Papistæ solent figuratores & significatistas appellare.

Nos verò & panem sacrum, & Christum ipsum ita astruimus in cœna mystica, vt Christi quidem præsentia & manducatio spiritualis sit, panis verò præsentia & manducatio corporalis: atque hic vt ore externo suscipiatur, ille spiritu concipiatur, intusq; digeratur. Sed audio hîc rursus, vt sæpè aliâs, obstrepentium aduersariorum murmura. Quid inquiunt, Annon dixit Christus, hoc esse corpus suum? Dixit, quid tum postea? Non potest igitur non esse, quod Christus *Obiectionis dilutio.* esse dixerat. Dixit quidem ille, corpus esse suum: at non fecit tamen corpus ille suum: neque enim ita dixerat, hoc fiat corpus meum, vt in Genesi, fiat lux, & facta est lux: dicturus haud dubiè, si quam somniant isti transubstantiationem, ille vnquam cogitasset. Nunc verò non creandi, neque mutandi, sed indicandi solùm verbo vsus, hoc esse corpus suum indicauit, non vt fieret corpus suum mandauit, nec credere eos miraculo, sed tantum manducare in eius memoriā iussit.

Rectè sanè, inquies, si affirmauit ille corpus esse suum, an tu esse negabis? aut Christum argues mendacij? Bona verba, ò bone. Imò idem & ipse cũ Christo affirmo, corpus esse Christi, eo nimirum modo, quo affirmauit ille atq; intellexit. Quomodo autẽ intellexit, an tu dubitare possis, quum Christum ipsum verbi sui interpretem audis? Caro, inquit, non prodest quicquam, verba mea spiritus sunt & vita. Et tu nihil cogitas, nihil mãducas, homo perquàm inhumanus, nisi humanam Christi * carnem? nec micã panis manere vis, eò quòd corpus dicatur Christi? At quã multa audimus quotidie, quæ hoc aut illud dicuntur esse, cum tamen eadem ipsa, reuera non fiunt? Cum discipulus, quem diligebat Iesus, mandato Christi filius Mariæ dicebatur, nemo tamen natura filiũ fuisse virginis fatebitur, sic apud Prophetã caro flos agri dicitur: In Euãgelio Ioannes, Elias: Petrus petra nominatur, idem & Satanas nuncupatur. Breuiter in toto scripturę contextu, quid hac loquendi figura vsitatius? vt res aliæ aliarum nominibus efferantur: In quibus nulla fit naturæ tamen mutatio, sed proprietates rerum duntaxat adnotantur. Neq; aliter Christus inter cœnandũ cum panẽ dedisset, corpus vocauit, non naturam

August. in Ioa. tract. 26. Christus dixit se esse panem, qui de cœlo descendit, hortans vt credamus in ipsum. Credere enim in eum, hoc est manducare panem viuum.

Cyril. Anathe. 11. Num hominis comestionem, hoc nostrum sacramentum pronuncias? & irreligiosè ad crassas cogitationes vrges mentes eorũ qui crediderũt & attentas humanis rationibus tractare ea, quæ sola & exquisita fide accipiuntur.

* *August. in Ioan. tract.* 26 Quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducâsti. Credere in eum, hoc est mãducare panem viuum.

Theodo. Christus symbola ea quæ videntur corporis & sanguinis sui appellatiõe honorauit, nõ naturã transmutans, sed adijciens gratiam.

 mutans,

mutans, sed sacramentum instituens: ita vt nulla hîc substantiarum alterius in alteram fieret conuersio: Sed vt rerum inter se proprietates mutua similitudinis conuenientia responderent. In pane enim alimentũ cõsideratur: in corporis perpessione, vis ostenditur & efficacia. Quæ sit illa autẽ efficacia, in panis alimẽto figuratur. Quemadmodum enim panis escarius nutrimentũ præstat corporibus: consimilem in modũ passio dominici corporis vitam nobis confert veram: & æternã. Verùm enimuerò vt nutriat panis & potus, necesse est vt manducemus. Itidem vt passio Dominica conducat, fides accedat necessariò oportebit. Ideoque accipere & manducare iussit. Quod itaq; mãducatio efficit in corporibus vescentium, hoc vis ipsa præstat & energia passionis dominicæ in animis credentium. Pane corporaliter vesceris & saginaris: in Christũ pro te mactatum & resuscitatũ credis, & iustificaris. Quis non videt aptissima hæc inter se similitudine vtrinq; congruere? primùm vt panis fractio, corporis illius mortem: susceptio & manducatio fidem in eo nostram: victus verò & nutrimentũ, nostram ex fide iustificationem edoceat.

Conuenientia inter sacramentũ corporis, & corpus sacramenti.

Beda in Lucam. cap. 22. Quia panis cor hominis confortat, & vinum carnẽ in sanguine facit, ideo mysticè panis ad corpus, & vinum ad sanguinem ipsius refertur.

Fidei iustificatio in Eucharistia maximè probatur.

Atq; hanc ipsam Christi quidem mentem eo in sacramento fuisse verba vel ipsa, si integra accipiantur, satis indicant: quum de pane dicit, quem manducare iussit: Hoc est corpus meum: quod nam, aut quo modo corpus? illud nimirũ, quod morti pro vobis daturus sum, sumite & manducate. Et de sanguinis poculo similiter? Hoc poculum

culum nouum testamentum est in sanguine meo, qui effundetur pro vobis. Accipite & bibite. Nā alioqui quorsum illa adiungeret verba, tradendi & effundendi pro vobis? aut quorsum hæc manducari & epotari iuberet, non seruari potius & reponi, nisi vt vim arcanam atque immensam hoc modo mortis suæ, in panis & vini manducatione, non in ostensione, ostenderet? Perinde ac si oratione ita aperta nos instituere voluisset. Corporis huius mei occisio, qua pro vobis defungar, sanguisque, quem vestra causa impendam, verè vobis cibus est & potus. Cedet enim vobis in salutem & iustificationem, quotquot in me creditis. Eiusq; rei ne qua vnquam excidat vobis memoria, panem hunc accipite & edite: Calicem sumite & bibite, in symbolum sempiterni mei erga vos beneficij, quò mortem meam, quoties id feceritis, grata recordatione attestemini, donec veniam.

Orige. in Leuiticū cap. 7. Domin⁹ panē quē discipulis dabat, dicens, accipite & māducate, nō distulit, nec seruari iussit in crastinum.

Passionis dominica fructus & efficacia.

August. de doctrina Christiana li. 3. cap. 16. Figura est præcipiens passioni Domini communicandum esse, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria quod Christus pro nobis mortuus sit.

Quæso ego, te Romane pontifex, per catholicam tuam fidem, si qua omninò fides in te spirat erga Christum Iesum, quid his verbis luculentius, quid rebus significantius? quid diuinam atque cœlestem dominicæ passionis vim aptius potuit, aut efficatius representare, quàm panis esca, vinique potus, quibus quotidie pascimur? Et vos panem nobis è sacramento pellitis? nihilque præter inanes elementorum

Gelas. cōtra Eutichetem. Non desinit esse substātia panis vel natura vini. Et certè imago & similitudo corporis & sanguinis.

formas & paleas, quibus porci, nō homines pascantur, relinquitis? In quo quid aliud, quā ipsum prorsus sacramentum ab ecclesia reuellitis? Quæ enim sine esu vsuque panis, constabit sacramenti ratio? Quod si verò Augustinus sacramenta esse neget, quæ rerum quarum sacramenta existunt, similitudinem nullam gerant: quæ tandem restabit hîc similitudo, sublata panis, quę cum Christi morte conferatur, substantia? Atque hoc quid aliud est, quàm corpus Christi non in sacramento statuere: sed sacramentum corporis prorsus ab ecclesia reuellere? nisi id fortasse dicetis, corpus domini, sui ipsius sacramentum existere: aut vacuas solùm formulas elementorum, nulla nixas materia, satis esse ad constituendam sacramenti rationem. Quo quid absurdius dici, aut prodigiosius confingi possit? Amabò te, amice lector, qui monstra ista & somnia gigunt in Sacramentis, an tu eos sani esse cerebri, an non vertigine errorum palam delirare censeas?

Christi in actione mysteriorū celebratur.

Aug. ad Bonifacium Epist. 22.

Sacramentū nullum corporis sine pane constare poterit.

Atque de materia hactenus sacramenti satis velitatum: quam aduersarij summa contentione corpus esse Christi dictitant: atque ne id quidem ipsi valde improbamus. Fatemur enim cum Augustino & alijs, corpus * quodam modo Christi esse, quod nomine sui corporis commendauit Christus. Quin nihilo minùs & panem hoc ipsum esse, quod edendum discipulis dedit, minimè diffitemur. Cæterùm hoc interest. Nam de modo, quo manducetur illius corpus, minimè conuenimus.

Materia quæ foris manducatur.

* *Aug. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 48.* Quodāmodo omnia significantia videntur earū rerū quas signifi-

uenimus. Illi corpus ita solùm spectant in sacris mysteriis, vt nullam relinquant panis substantiam, quod non erroris, sed stuporis est. Nos Sacramenti quidem materiam, propriè ac simpliciter in pane & vino statuimus, ita tamen vt corporis sacramentum minimè violemus. Sacramentali igitur ratione corpus esse seruatoris, non panem censemus. Sin crassam spectemus materiam, quæ esui ac ventri proponitur, panem quidem esse, at non dici: corpus dici, at non esse affirmamus. Neque verò, si panis non fuisset, Christus vllo modo comedendum corporaliter proposuisset, eo quòd caro humana & sanguis quacumque specie indutus, vt mensis & cœnis conueniat, non modo à legis diuinę pręscripto, vt suprà dictum est, sed ab ipsa etiam natura abhorret.

cant, sustinere personas.

Panis est Sacramentum corporis, hoc est, panis Sacramenti ratione est corpus.

Superest nunc, vt quum de sacramenti materia diximus, de re ipsa, quæ significatur hoc Sacramento, edisseramus. Cum autem sacramenta omnia (quæ inuisibilis gratiæ * signa visibilia definiuntur) in eo rerum genere propriè censentur, quæ πρός τι dicuntur, nos relatiua appellamus, ecquis dubitare posit, Christi corpus Sacramentũ esse sui ipsius non posse? Quemadmodum pater sui pater non est, sed filij: nec filius à sese accipit, sed à patre, quòd filius dicitur: ita fieri nõ potest, quin duæ diuersæq; res in hoc sacramento adhibeantur (teste Irenæo) terrena, & cœlestis, quarum altera similitudinem &

De re ipsa quæ Sacramento significatur.

Bernar. Ser. de sancto Martino.

Sacramentũ dicitur sacrũ signum, siue sanctum secretum.

Irenæus aduersus Valentinianos lib. 4. cap. 34. Panis terrenus accepta vocatione à verbo Dei nõ

signum

amplius est communis panis, sed efficitur Eucharistia, quæ constat duabus rebus, terrena, & cœlesti.

signum inferat: altera significetur necesse sit. Vbicumq; enim signũ est, aliquid significari necessariò oportebit. Quod autem signi vicem supplet, panem esse haud dubium est. Quod sacramentali hoc signo commendatur, carnem Christi esse nemo non fatebitur. Quorum in altero sacramentum; in altero res sacramenti continetur. Ex quo necessaria consecutione efficitur, vt Christi corpus pro nobis datum (quum res ipsa sacra sit,) aut non sit signum ipsum sacramentale, quod in cœna æditur: aut certè res ipsa existere, quæ signo commemoratur, nulla ratione queat. Quod igitur externè à nobis manditur, panis est: quod* intelligitur, caro est. Atque illud quidem ore, hoc spiritu percipimus. Eademque causa spiritualis Christi caro à Hieronymo dicitur, quem & ipse citat Lombardus. Dupliciter, inquit, intelligitur caro Christi, & sanguis eius, vel illa quæ crucifixa est: vel illa spiritualis ac diuina, de qua dicit ipse: caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Cur autem spiritualis à Hieronymo dicatur caro Christi, non possit alia esse causa, nisi quia spiritu solùm, non ore carnali à nobis suscipitur. Nam alioqui quis nescit carnem Christi datam pro mundi vita, vbicumq; sit, non spiritualẽ esse, sed natura substantialem.

Sacramentũ.

Res sacramenti.

**Basil. in Psa. 33.* Quoniam dominus noster est verus panis, & eius caro est verus cibus, necesse est, eam voluptatem quæ ex illius panis delectatione affertur, id nobis per gustum existere spiritualem.

Lib. 4. dist. 8.

Hieronymus. Caro Christi cur spiritualis à Hieronymo dicatur.

At

At negat idem Lombardus, panis quicquam manere, præter solas species, quæ vocabula rerum, quæ ante fuerunt, retineant. Quid & his igitur speciebus mathematicis & vocabulis rerum, sine rebus ipsis suos discipulos pauit Christus? Minimè, inquis, sed sub his vmbris & accidentibus panis & vini, suscipitur vera carnis substantia & sanguinis. Et cur tum *spiritualem hanc carnem Christi appellat Hieronymus? An quia obtecta externis formarum inuolucris, occulto modo se intromittit in corpora nostra, caro Christi, idcirco spiritualis dicenda est? Et quid si Sol hic visibilis nubibus ac nebeculis obducte*, minus se oculis nostris patefaciat, cum tamen orbem quaquauersum illustrat an ideò quia densitate vmbrarum occulitur, nos solem spiritualem dicemus? Age, & vbi ergo similitudo illa, quæ in omni sacramento desideratur, signi cum cum re signata, si tu nullam nobis substantiam reliquam facias, nisi corporis solum, & sanguinis? Quid ergo, an Christi corpus signum & sacramentum erit sui ipsius? Minimè, inquis, sed visibilis species illa panis, quæ sacramentum fit geminæ rei, quia vtramque rem significat, corpus videlicet verum, & mysticum: & vtriusque rei *similitudinem gerit expressam? Age, & quæ tandem ista similitudo sit, & quomodo exprimatur, sententiam audiamus magistri.

Lombardi dogma.

* *Ambros. de mysterijs.* In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi. Non ergo corporalis esca, sed spiritualis. Vnde & Apostolus de typo eius ait: Quia patres nostri eandem escam spiritualem manducauerunt. Corpus enim Dei est spirituale. Corpus Christi, corpus diuini spiritus est. De consecr. dist.

Lombardus confutatur.

Lombardus. lib. 4. dist. 8.

* *Ambros. de sacram. lib. 4. cap. 4.* Sicut mortis similitudiné sump-

sisti, ita etiam similitudinem preciosi sanguinis bibis.

Lombardus sibi ipsi repugnans.

Similitudine sublata, tollitur sacramentum: At sublato pane tollitur omnis similitudo. Ergo sublato pane tollitur sacramētum.

Quia sicut panis, inquit, præ cæteris gratijs corpus reficit, & vinum exhilarat: sic caro Christi interiorem hominem sustentat & vegetat. Ac rectè id quidem Lombarde. At quomodo constabis iam tibi ipsi? Sicut panis, inquis, reficit corpus. At quo pacto reficiet panis, si tu ne micam quidem panis relinquas nobis in cœna? Sin verò relinquas, quo modo iam visibilis species panis, sine pane, sacramentum erit geminæ rei, geretque vtriusque similitudinem? Nam si similitudo sacramenti in eo posita sit, quòd reficere & nutrire dicitur, certè vt panis permaneat necesse est, aut species sola visibilis sine pane, sacramentum non erit, nec vllam geret similitudinem. Quæ enim refectio in nudis formis sua materia orbatis? aut quæ his similitudo, cum Christi carne interiorem hominem reficiente?

Lib. 4. dist. 8.

Quid hic mihi respondebit Lombardus? Ad miseram, opinor metonymiam suam confugiet, quam ipse sibi in speciebus permittit: nobis in substantijs nulla ratione concedit. Tenēt, inquit, species vocabula rerum, quæ ante fuerunt, scilicet panis & vini. Quid ego audio, mera illa accidentia tum, cum continerent substantias panis & vini, earum vocabulis sunt vnquam appellata? & cur nunc eadem ab his abstracta earum rerum vocabula retinerent, quæ nunquam ante tenuisse dicebantur? At erat, hoc est, aderat, inquis, ante consecrationem, panis. Sanè quidem. At quid tum postea? Post consecrationem verò nulla

ſupereſt amplius panis ſubſtantia. Quid ita te quæſo? quî ſcis Lombarde? qua ratione colligis? qua autoritate id credis? quis credere iuſsit? quis panis ſubſtantiam ſuis formis abdicauit? quibus verbis? quo temporis momento? quia de cauſa id faceret? quis vllam hic diuulſionem aut emigrationem tranſubſtantiarum aduertit? At negabis fidem oculis manibuſq; hîc mentientibus habendam eſſe, cogente verbi autoritate, cui ſenſus cedant ac ſuccumbant neceſſariò oporteat. Eſto ſanè. At quid interim de formis iſtis dicendum & ſpeciebus panis, an has etiam extinctas ſimul cum ſua materia, an integras manere cenſes? Quid ni verò maneant, inquies? Cedo igitur, & vndè hoc pernoſti? Quia nimirum vides. Age, & quæ hæc ratio eſt, ô præclare? Tu formas ſeiunctas à ſua materia vides, & credis. Nos materiam ipſam peræquè ſub aſpectu poſitam cernimus, & non ſimiliter credemus id eſſe, quod teſtantur oculi? Si in accidentibus nihil te fallit perſpectiua tua, cur noſtra magis, in rerum tam aperta mentietur euidentia? Aut ſi tu dictis Christi, quibus ille corpus hoc eſſe ſuum dictitat, ita affigendam fidem putes, vt nulla ſit ſenſibus tribuenda: nihil video, Lombarde, cur magis tibi liceat, in formarum apprehenſione, teſtibus oculis tuis fidere, quàm nobis liceat, in affirmanda ſubſtantia, quam palam contuemur, oculorum noſtrorum ſtare iuditio.

Si fides habeatur ſenſibus, in aſtruendis accidentibus panis & vini: cur non æquè fides iiſdem habenda, in aſtruenda, panis & vini ſubſtantia quam cernimus.

Neque interim eò minús verbis Christi fidem addicimus, propterea quòd in externo sacramento, sensibus externis non omninò diffidimus. Scimus verum & indubitatum esse, quod de corpore suo dicebat Christus, neque tamen ideò necesse est falsum id esse, quod de panis subsistentia renuntiant nobis oculi. At putat Lombardus non posse aliter Christi consistere corpus, nisi adsit corpus: nec corpus aliter adesse posse, nisi absit panis: quin vllam fieri mutationē posse aliam, nisi qua panis substantia vertatur in personam filij Dei. Nos verò vtrumque esse verū confitemur, vt & corpus sit Christi, simul & panis esse non desinat, ita vt neque dictis Christi fides abrogetur, nec sensus intuentium rerum visibiliū aspectu decipiantur.

Duplex Papistarū error in re sacramentaria.

At dices, quum ea potentia sit cœlestis verbi, vt cœlum, terras, maria, quæq; in his continentur, produxerit ex nihilo: quantò facilius idē hic operatorius sermo panis substantiam ante oculos positam mutare in corpus suum valebit: præsertim quum expresso verbo Dominum ipsum testantem corpus hoc esse suum, audiamus?

Obiectio, ex Ambrosio perperam intellecto.

Operatorius sermo.

Primùm, de omnipotentia diuini verbi, impius sim, nisi assentiar cum Ambrosio, verissimum esse, quod summus ille cœli ac terræ opifex ex nihilo cuncta hæc, quæ videntur potentissimo verbi sui imperio procrearit: At quid vnquam procreauit diuinus sermo illius in rebus his visibilib⁹, nisi quod idem videri ac cōspici ab omnibus voluerit? veluti, quum dixit, vt fieret lux, facta &

Obiectionis dilutio.

Omnia procreauit Deus verbo pōtētia sua quæcūq; creauit.

cta & visa est lux.: Iussa est terra germinare germen suum perspicuum omnibus. Postremò faciamus, inquit, hominem ad similitudinem nostrã. Harum rerum omnium nihil vnquam fabrefecit diuina manus, quod non contẽplationi, atq; admirationi omnium patefieret. Ad eundem modum in euangelio, quum multa extant miracula, in quibus singulare numen Christi eluceat, tamẽ in his omnibus, nullum vnquam miraculum designauit tam occultè, quod non omnib[9] redderet conspicuum. Iam in hoc sacramento, quid vnquã admirati sunt Apostoli, aut quam panis transubstantiationem ipsi vnquam crediderunt, aut alijs credendam retulerunt? Et tu nunc ad Iudaicas reuersus fabulas, nos qui spiritu cœpimus, ad carnem, Lombarde, reduces, substantiamq; filij Dei ex pane conflatam nobis persuadebis, cuius nullum nec specimen ipse vides, nec vllam commõstras euidentiam?

Ergo Deus verbo potentia suamutat panem in personam filij dei. Negator argumẽtum.

Sed redis iterum atq; iterum ad Christi verba, hoc est, ad verborum literam, verùm à mente Christi recedens quàm longissimè. Quod ad verba ipsa attinet, minimè quidem otiosa ea esse, nec frustra ab eo posita, facilè assentimur. Verùm quum multa sunt, quæ dixit & fecit Iesus in hac cœna: ecquam ex his omnibus tu vnam mihi syllabam proferes, Lombarde, vndè transubstantiationem hanc mõstriferam struas? Primũ accepit Iesus panem, & fregit: nihil adhuc mutatũ vides. Acceptum deinde discipulis mandat vt manducarẽt. Quid hactenus hæc sonant verba, nisi panẽ?

Verba Christi non ad literã, sed ad veritatẽ & analogiã sentẽtiæ æstimanda sunt.

Ex verbis cœna nulla colligi possit transubstantiatio.

 Quod

An non miraculi vim ingentem intelligis in qua memoriam passionis suæ carnemque suã Christus, non sub nudo signo, sed sublimi sacramento: non sub nomine panis & vini, sed sub *nomine corporis & sanguinis sui, sacramentum in escam tibi dedit, quod non *ventrem, sed mẽtem tuam saginet. Quid, an res hæc exigui tibi momenti esse videtur, Christum ipsum sub sacramento tibi commendari? Nam quid hîc aliud vis? Quid amplius in sacramẽto desideres, quàm exemplar & imaginem expressissimã tui Seruatoris, peculiari institutione tibi propositam: In qua nõ iam nudum & *communẽ panem, non eo respectu, neque in eum finem & vsum, quo cęteri solent panes accipi, sed diuinum quasi panẽ, diuina verborum gratia sanctificatum, extra pristinam suam naturam & vsum, in Christi corpus mystica repræsentatione immutatum percipis.

*August. de consecratiõe. Dist. 2 Hoc est, quod cœlestis panis, qui caro Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, quum reuera sit sacramentum corporis Christi.

*Rabanus Maurus. li. 1. ca. 31. Aliud est sacramentum: aliud vis sacramenti. Sacramentum in corporis alimentum redigitur, virtute sacramenti æternæ vitæ dignitas adipiscitur.

*Cyril. catechis. mystagog. 4. Ne consideres tanquam panẽ nudum, panis eucharistiæ non est amplius panis simplex & nudus.

Chrysost. serm. ad Infantes. Panis absumitur à substantia corporis Christi. Hoc est: vt nihil sit corporis respectu.

At tu nullum omnino panem nec vinum admittis in sacramento: verùm quicquid panis essentiale habet aut materiale, id vniuersum in Christi substantiam vertis veram & corpoream. Et quid igitur Ambrosio respondendum putes, cuius vt grauissima, ita clarissima, verba sunt: vt sint

Ambros. de sacram. li. 4. cap. 4.

sint: inquit, quæ erant, & in aliud conuertantur. Existere confitetur Ambrosius, quæ erant: & tu eadem nobis desinere persuadebis? In eandem sententiam subscribens Origines, Panis, inquit, qui sanctificatur per verbum Dei, secundum id, quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum eijcitur. &c. Si panis est, qui post sanctificationem in vẽtrem abit, iuxta Originem, qua fronte panem esse negabit Lombardus? Contraque si, iuxta Lombardum, nihil subsit materiale, cuius igitur rei materia erit illa, quam pani tribuit Origenes. Vtrum nunc Lombardo, an Origini astipulandum sit, pontifex vel ipse videat ac iudicet. *Origenes in cap. 15. Mat.*

Accedit eodem Augustinus, non aspernandæ antiquitatis testis: Cœlestis, inquit, panis qui caro Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, quum reuera sit sacramentum corporis Christi, &c. si sacramentum corporis, quomodo corpus ipsum? Quod autem vocatur corpus Christi, si ideò caro erit illius, quid obstat quin eadem ratione, Petrus erit Satanas, quia vocatur Satanas? Tum si sacramentorum ea sit conditio, vt eius rei, quam significent, vocabulo censeantur: quæso te, Lombarde, sublata panis iam substantia, quid relinquetur in formis accidentarijs, quod vel nomen corporis sustineat, vel similitudinem eius vllo modo referat? *August. de consecrat. distinct. 2. hoc est quod.* *Augustin. ad Bonifacium Epist. 23.*

Concinit ijs Rabanus Maurus, paulò istis recentior: Sacramentum, inquit, in corporis alimẽtum redigitur. Cogita nunc tecum, Lombarde, *Rabanus Maurus li. 1. cap. 31.*

*Irenaus li. 5. De pane, qui est corpus, augetur & consistit carnis nostræ substantia.

quid *alimenti in formis & coloribus esse queat, vbi nulla adsit rerum, quæ suscipiantur substãtia.

Chrysost. in opere imperfect. hom. 11.

Quid porrò illis Chrysostomi verbis lucułẽtius? qui planissimè negat in sacris vasis verũ esse corpus Christi: sed mysteriũ corporis eius cõtineri affirmat?

Orige. in Mat. Cap. 15 Et hæc quidẽ de typico symbolicoque corpore, &c.

Quid Theodoreti, Macarij, Gelasij, Tertulliani, Basilij, vel autoritate grauius, vel sententia illustrius, qui apertissima testificatione de Euchraristia disserentes, panis alij substantiã, alij naturã, alij materiam manere prædicant, alij corpus quidem Christi esse dictitãt, sed * typicum & symbolicum: De formis, de nudis apparentijs, de trãsubstantiatione, nulla adhuc vox, ac ne syllaba quidem vna tota istorum ætate increbuit.

Chrysost. ad Cæsariũ. Antequã panis sanctificetur, panẽ eum nominamus. Diuina autẽ illi gratia sanctificãte, mediãte sacerdote, liberatus est, quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in eo remanserit, &c.

Nimis te obruerem, Lombarde, si quæ liceret singula euoluerem, ex antiquissimis patrũ archiuis, qui contra te, ceu contestata lite, nitẽtes, corpus domini ita astruũt in sacris mysterijs, vt panẽ interim à sua substantia minimè remoueant, sed à communi tantum & naturali ipsius vsu, in finẽ alium ac conditionẽ supernaturalem mystica & sacramentali ratione transferũt: Non vt ne panis sit, quo vescamur, sed ne communis, ne nudus, simplexq; panis sit, hoc est, vt & panis sit, idemq; simul Christi corpus existat. Substantia quidem panis, sacramẽto, vsu, similitudine, *appellatione, corpus Christi sacrum.

Quod igitur ore tenus arripimus, natura panis est, vescendi verò ratione, natu-

ra hæc

ra hæc minimè à nobis spectatur, verùm cogitatio longè altius subuecta in cœlum vsque, atque in cœlorum cœlos, vt refert * Chrysostomus, aliud illic agit. Christum enim fide ac spiritu præhendit, passionem recogitat, vsumfructum eius sibi accommodat, totaque velut mente deuorat, ruminatque: quo fit, vt panis, quo in mensa vescimur, *nulla omninò cura, nulla habeatur ratio.

* Chrysost. 1. cor. homil. 24. Ascende igitur ad cœli portas & diligenter attende. Imò non cœli sed cœli cœlorum, & tunc id quod dicimus intueberis.

* Chrysost. in Genes. homil. 24. Oculi fidei quando vident hæc ineffabilia bona, ne sentiunt quidem hæc visibilia, tantum inter hæc & illa interest.

Hincque frequentes illæ apud priscos olim maiores in attollenda sacramenti huius excellētia decantationes. In quibus sic illi sæpè ad hyperbolen vsque efferuntur, ac si res nihili foret panis & vinum, nec quicquam spectandum hîc aliud videatur in cœlebranda cœna, præter corpus & sanguinem domini: Sicut reuera nihil sunt elementa ista mortua, si cum corpore, quod repræsentant, componātur. Sed quid tum inde? An ideò elementa panis & vini nulla pars existēt sacramenti, quia supremas partes occupat, quia totam mentē possidet dominici corporis consideratio? Aut ideò Christus dicetur substātiā panis & vini in corpus suū realiter trāsmutasse, quòd eandem in sacramentum mutauit sui corporis.

Causa nulla erat cur Christus panis substantiam in carnem suam verteret.

At quo tandem argumento id euincent aduersarij? Nam si Deus & natura nihil temerè, nihil sine grauissima causa in re quaque

 moliatur,

moliatur, superest id nobis perquirendum, quorsum, qua causa, quo consilio, quo fine id Christus faceret, vt eiecto pane, carnem ipse suam veramquidem, sed inuisibilem sub visibilibus formis ore corporis realiter comedendam propinaret. Cæterùm hic bonis auibus aduolat iterum Lombardus noster, qui triplicem mysterij huiusce causam redditurus sit, cur Dominus carnem propriam & sanguinem non humana forma, sed sub alia specie, verè quidem, sed inuisibiliter manducandam, erogaret. Primùm vt fides cumulatius haberet meritum, vbi humana ratio nullum præbet experimentum, teste, quem ipse citat, Gregorio. Deinde ne abhorreret anim⁹, quod cerneret oculus, propterea quod alioqui ad inusitatũ crudę carnis esum nausearet manducantiũ stomachus. Tertio, ne quid hîc videretur, quod incredulos offenderet, aut quod Paganis deridendi insultandique moueret occasionem.

Triplex Lõbardi ratio qua astruit transubstantiationem.

Li. 4. Dist. 11 cap. 1.

1.

2.

3.

Audîstis ex intima Lombardi Theologia, consutas ratiunculas: superest deinceps, vt easdem excutiamus. Ac primùm, quod de fidei merito disputat, haud equidem abnuerim, in his quæ fidei sunt, nihil habere rationis humanæ captum, quod agat. Versatur enim fidei laus in ijs propriè, quę non videtur, siue quę pręterita in scripturis cognouimus, siue quæ futura promittuntur. Prætereà neq; displicet mihi tritum non minus, quã verũ, Gregorij axioma, qui de ianuis clausis ingrediente Domino disserẽs, fidẽ negat habere

Rationes Lõbardi excussa ac refutata.

Prima Lombardi ratio.

Gregorius in octauis Pasche, Hom. 26

habere meritum, vbi humana ratio præbet experimẽtum. Verissimum enim fatemur & credimus, quod scriptura de foribus occlusis & de ingressu Domini consignauit. Sed vbi scriptura vno vel verbo significauit de pane abiecto, de essentiali Christi præsentia sub vacuis formis, de transsubstantiatis elementis? Beati, inquit ille, qui non viderunt & crediderunt, fateor. Sed non omnia quæ non videntur, ilico credenda sunt. Neq; nos humanæ rationis captum ideò non repudiamus, quia fictionibus quibuscunq; non assentimur. Quæcumque certo Dei verbo præcipiuntur, his & credimus libenter, omnemque vim rationis humanæ promptissima fide submittimus. Sed quis id vnquam iussit credere, quod vos de transsubstantiationis vanissimo cõmento, confinxistis? aut quia tandẽ verbi autoritate, vel scriptũ vel significatum docebitis, vt ex pane personam filij Dei nobis ad adorandum & vescendum confectam, & si non videamus adoremus tamẽ? Habeat itaque fides meritum suum, in ijs quæ verè credenda sunt, quæ firma expressaq; verbi autoritate constant. Quæ verò non constant, quæ nusquam sunt, nec à Deo sunt vnquam instituta, sed futili humanæ imaginationis vanitate somniata, ea credere non fidei est, sed dementiæ, nec meritum vllum habet, sed flagitium.

Locus Greg. fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentũ.

In rebus fidei humana ratio locum non habet: Ergo contra rationem credẽda est trãsubstãtiatio. Negatur consequentia.

& Quin nec minus deridiculum & illud, quod de Paganis subinfert. Ne detur, inquit, infidelibus irridendi occasio. Cur ita irriderent illi, te obsecro Lombarde? respondes, quia magno id

Secunda Lõbardi ratio.

ſcandalo videretur incredulis, qui ſine dubio Chriſtianæ inſultarent religioni, ſi cruorem occiſi hominis videremus. Age, & hæc tibi cauſa fuiſſe videtur, cur dominus corpus & ſanguinem ſuum, non humana forma, ſed ſub alia figura porrigeret: ne paganis ſi viderent, irridēdi moueretur materia: Nam iſtuc velle, tua videtur cauſificatio, quam ex Auguſtino etiā videris acceſſere. Rectè, & quid tum Apoſtolis ipſis dicemus? Num & hi Pagani fuerunt aut increduli? & cur non iſtis poculum ſui ſanguinis ſub propria ſpecie præbuit, vbi nullum erat inſultandi periculum? aut ſi ſanguinem ſuū occultare ſub ſacramentali ſpecie voluiſſet, reſponde, quid erat cauſæ, cur ſub forma, quàm ſub materia panis id facere maluerit dominus? Preterea quod ad Paganos attinet, ſi iſtorum inſultus metuit tātoperè, iſtud mihi rurſum Lombardus reſpondeat: Si adeſſet nunc ſacris iſtorum, atque in templis Paganus quiſpiam, quæ maior illi præberi poſſet deridēdi & iocandi materia, quàm cū vniuerſam videret papicolarum multitudinem ſupplici adoratione humi procumbere, palmas in cœlum tendere, pectora ferire, ad paniculi vnius oſtenſionem? Queſo an non omnes pariter inſanire dicerent? Imò an non dicunt id quotidie Iudæi, Turcæ, & Pagani? Nec ſcio an vlla re alia magis, quàm hoc vno offēdiculo effectū ſit, cur impediti huc uſq; à fidei noſtræ communione ijdem tantopere abhorreāt.

Ex Aug. de conſec. diſt 2. Sub figura.
Nihil rationabilius, quā vt ſanguinis ſimilitudinem ſumamus vt & ita veritas non deſit, & ridiculū nullū fiat à Paganis, quod cruorē occiſi hominis bibamus, &c.

Cæterùm ingeritur hic difficultas nobis aliqua

qua ex verbis Augustini nescio vnde conflatis, qui ad deuitandam Ethnicorum irrisionem, ita nos sanguinis similitudinem suscipere prædicat, vt veritas interim corporis non desit. Quę verba, vt nostro instituto haud quicquā incōmodāt, ita multo minus iuuant aduersarios. Namq; vt confiteamur, sanguinis similitudinem in sacramento nobis exhiberi: non ilico consequens est, veritatem proinde sanguinis re vera exhiberi. Aut si fieri id aliquo modo concedi possit, at non eo tamen modo, quo similitudo incurrit in oculos: ipsa similiter rei veritas se nobis repræsentat: sed alia ratione. Quæ autem illa sit, si quæras: exponet tibi Ambrosius: In similitudinem, inquit, accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutēque consequeris. Quibus verbis & similitudinem, simul & veritatem dominici corporis expressam vides. Quarū altera ita adsit, vt nec altera desit tamen. Quomodo autem non desit, si pergis quærere, nec satis adhuc tibi fecit Ambrosius, dilucidius id explanabit Hilarius, disertissimis verbis de veritate corporis in hunc modum scribens: Corpus, inquit, Christi quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum videtur extra, veritas verò, dum corpus & sanguis Christi interius creditur, &c.

Aug. decōsec. dist. 2. ca. Sub figura. excitatione Lomb. li. 4. dist. 11.

Ambros. de sacramēt lib. 3. cap. 1.

Hilarius de consec. dist. 2. 2. corpus Christi.

Venio nunc ad illud quod tertium est, quodq; de horrore adfertur. Sic enim habēt verba Lombardi: Et ideo etiam, ne abhorreret animus, quod cerneret oculus, quia non habemus in vsu carnē crudam & sanguinē comedere, &c. Age, & quid

Tertia Lombardi ratio. Lib. 4. dist. 11. Cap. 5.

postea?

postea? Quia ergo Christũ absumere dentib⁹ fas nõ est, idcircò in mysterio nobis carnẽ & sanguinẽ cõmendare voluit &c. Accipio quę dicis, Lõbarde, proboq́ue. Sed qua ratione tibi iam ipse constabis? Negas enim fas esse Christum dentibus vorare. Et quo modo non voratur dentibus, si realiter essentialem corporis veritatem in sacramento constitues? In mysterio, inquis, carnem & sanguinem nobis commendauit. Ac rectè id quidem. At quî iam ista cohærebunt sibi τὰ ἀνακόλουθα, vt & in mysterio, simul & re ipsa dentibus atq; non dentibus: ad vorandũ & non vorãdũ detur corpus Christi? Quod si enim mysteriũ Græcis idem sonat, quod nobis sacramẽtũ, siq́; sacramẽtũ signũ sit rei sacræ, iã qui in mysterio dat corpus suũ, quid dat aliud quàm signum sui corporis? Quanquam n õme fugit, quas hic offucias & tenebras nobis effunditis signorum sacramentalium, sub quibus verum & indubitatũ Christi corpus, & si non uideatur, inuisibili tamen ratione verissimè cõtineri & manducari contẽditis. Quęso Lombarde, quæ hęc Theologiæ ratio est, vel deliratio potius, vt ad cœnam nos voces, vt mensam instruas, vt carnem Christi verè propriã & essentialem apponas, cuius tamen nec formam nec substantiam qui participat, quisquam perspiciat. At dices, situm in eo esse totius sacramenti mysterium: Nempe vt corporis substantiam verissimè adesse, ac corporaliter etiam manducari non dubitemus, licet hoc ipsum, quod edimus, minimè persentiatur. At petitur hîc iterum principium

Lombardus sibi ipsi non cohæret.

cipium

cipium: Qui enim constabit, hoc ipsum voluisse dominum manducari à nobis, quod spectari voluerit?

Id eò factum, inquis, ne horreret animus, quod oculus cerneret. Sit hoc sanè, graue esse, vt ais, nauseabundo stomacho crudæ carnis spectaculum: At non propterea consequitur, corpus ipsum realiter sub alia specie contineri, quia sub propria, horrori esset. Nec satis, opinor, firma hæc argumetandi ratio est: Crudas Christi carnes sub specie propria oculus cernere sine horrore non sustinet: Ergo sub panis specie, cruda Christi caro substantialiter depascitur. Cum æquè vtrumque & falsum & horrendum existat siue sub propria specie, siue sub quacunque forma, viuam & crudam Christi substantiam commãducare nos dicas. Ne horreret, inquis, animus quod oculus cerneret: maximè si carnes hominis occisi crudas cerneret. Age, & quid si non cernat crudas? quid si coctas aut assas? aut nullas omninò oculus cerneret, sciret tamen animus humanas intus latere, an nõ exhorrescens auersaretur? vel teipsũ, Lõbarde, hîc appello. Quid si tibi vel obcęcato, vel oculis occlusis cõniuenti, humanas carnes, velut in Thyestæo conuiuio, apponeret aliquis, num manducares? Quid si sub crusto saccari idem faceret, aut sub quocunque alterius rei integumento carnes patris tui, aut charissimi tibi amici siue crudas, siue coctas in os ingereret, Num sciens sumeres?

Paralogismus papistarũ cõfutatus.

Horror mãducationis per accidẽtia non tollitur.

Non arbitror. Et cur non obſecro? An quia crudas eſſe, aut quia humanas eſſe ſcires? Crudas etenim vorare carnes, ferarum: humanas certè non humanum, ſed belluinũ eſt, quacumq; etiam ſpecie intectas. Non igitur horror iſte, quẽ dicis, Lombarde, in cruditate, ſed in ipſa humanitate, non in aſpectu, ſed in natura rei, non in eo, quod cernit oculus, ſed quod animo percipitur, conſiſtit. Quòd ſi enim iuxta prouerbium, lupus lupinam non eſt, nec canis caninam, an quiſquam eſt humana præditus natura, qui humana ſe carne explere, quacunque etiam ſpecie obuelata non perhorreſcat? aut tu id Chriſto in mentem vnquam veniſſe putas, vt quum panem manibus teneret, quo ſuos paſceret, panem ideo fugitiuum proturbaret, vt humana carne ſua & cruda & viua, pręter naturam, citra neceſſitatem, nulla cauſa, nullo fructu ventriculos hominum carnalitèr ſatiaret?

Ioan. 6. Caro non prodest quicquam.

Non igitur horrorem iſto modo excludis, Lombarde, è ſacris ſymbolis, quum ſymbola panis & vini vertis in carnem Chriſti, ſed inducis potius, vt iam non honorifica, ſed horrifica cœna hæc videatur, ſi modò adempto pane & vino, quod ais, verum id ſit, nihil iam ſupereſſe ad exedendum, præter ſubſtantiam carnis & ſanguinis, quam tamen ipſam ſubſtant, nec videri ſub ſpecie propria vis, ſed ſub aliena. In quo geminam tu quidem iniuriam facis, cum gemina coniunctam abſurditate. Primum in eo, quòd

Duplex iniuria, quam ſacramento importat Lombardus.

quòd formas & accidentia panis legitimo suo defraudas subiecto. Deinde, quòd substantiam ipsam corporis, suis æquè accidentibus dispolias, vt iam nec panis substantia, nec corporis forma vlla permaneat. Ita poëtæ ni fallor, suas olim pingere chymæras solebant.

Chymera papistica.

Neque interim hæc eò dicuntur, quo Christum excludamus, aut sacrum ipsius corpus in sacro symposio minus communicemus: Verùm vt eo maximè modo, omni absurditate careat hæc communio. Quo autem modo si quæras, disertè respondebit tibi Ambrosius, qui dicet: è sacro calice non te sanguinem ipsum, sed *similitudinem sanguinis bibere, ac causam indicans, ne horror, inquit animo oboriatur: Rursusque alibi: in similitudine accipere nos sacramentum testatur. Quod *Ambrosius in similitudine affirmat, alij in figura, in mysterio, in Typo, & memoria referunt. Quin & idem ipse, Ambrosius de Eucharistia scribens ait: Memoria nostra redemptionis est: Quia verò morte domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando carnem & sanguinem domini, quæ pro nobis oblata sunt, significamus. Et ibidem rursus:

Ambros. de sacrament. Lib. 4. Cap. 4. Sicut mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem preciosi sanguinis bibis, vt nullus horror cruoris sit.

* *Idem lib. 6. Cap. 1.* In similitudinem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequeris.

Amb. 1. Cor. Cap. 11. Testamētū sanguine constitutū est, quia diuini beneficij sanguis testis est. In cuius typū nos calicē sanguinē mysticum percipimus.

Horrorē nūquam tollent papistæ à sacra cœna, nisi panis substantiam integrā concedant.

Summa doctrinæ de speciebus sacramentalibus in cœna domini descripta.

Diuini, inquit, beneficij sanguis testis est, in cui typum nos calicem sanguinis mysticum ad tuitionem corporis & animæ percipimus. Vbi calicē ille quidē mysticum appellat typū. Quis autem ignorat typum nihil aliud significare, quàm formam, similitudinem, & exemplar? Rursúsq; quis nescit inter similitudinem & veritatem ingēs intercedere discrimen, sicq; inter se ista repugnare, vt inter se nulla ratione conueniant. Ex quo duo persentias, Lombarde, & ademptum horrorem esse, simulq; incolumem nihilominus panis viniq́ue manere substantiam.

Quæ quum ita sint, vt demonstratum est, certissima labascit proinde tua illa mendax & fallax positio, qua dimicans tam strenuè pro regno accidentium, & transubstantiatione, nullum interim locum pani & vino reliquum in sacramento facias: sed ad visibiles species omnia reuocans, in his solùm omnem sacramenti rationem constituis: Quæ quidem species etsi vocabula rerum teneant, vt ais, quæ antè fuerunt, res tamen ipsas continere omninò negas. Vnde si quādo occurrant nomina panis & vini in sacris ecclesiæ Doctoribus, id ita intelligendum doces, panem quidem & vinū dici, non quæ sint, sed quæ ante fuerāt: res verò ipsas longè abesse, neq; quicquā iam residere, quod elemētare sit, pręter sola elemētorū vocabula, & cassas dūtaxat species panis & vini, quorū nomina adhuc retineant, substantias verò ipsas prorsus amiserint, neq; quicquā iā cōtineant amplius, pręter verū & essentiale Christi corpus,

à quo

à quo tamen neque ipsæ afficiantur, neque ipsas vllo modo illud afficiat.

Atque hæc preclara illa vestra, in describendo sacramento, sophia est. Quæ quo modo cũ scripturis, cum patrũ sententijs, cum purioris ecclesiæ antiquitate, cumq́ue fide ipsa consentiat, imò quàm longè ab omni veritate rationeq́ue dissentiat, paucis hîc exploremus, neque enim multis opus censeo. Ac primum quum illud audimus ex Paulo: probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat &c. Ecquis est, qui de speciebus ista, non de materia potius panis & vini dicta dixerit? Quid enim, an edere & frangere, de pane edere, & de poculo bibere, in vacuas solùm apparentias panis, non in panem ipsum competere quisquam existimabit? Extat in decretis citatum ex Hilario, nobisq́ue paulo superius commemoratum: Corpus inquit, Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum videtur extra: Veritas autem, dum corpus & sanguis Christi interius creditur &c. Nec minus apertè D. Cyprianus: Dominus, inquit, sanguinem suum vinum appellauit, de botris & acinis plurimis expressum, atque in vinum coactum. &c. Quid autem, nunquid ex botris & acinis accidentia solemus, ac non materiam potius vini exprimere? Quid quum ex Origine illud audis Lombarde: Nõ materia panis, sed super illũ dictus sermo est, qui prodest nõ indigne Domino comedẽti &c. Tũ maximè inter ceteros, quid his verbis Gelasij dixeris.

1. Cor. 11.

De consecra. dist. 2. Corpus Christi ex Hilario.

Cyprianus. li. epist. 6.

Origenes in Mat. cap. 15.

" dixeris. Qui de ſacramētis ſcribens panis & vi-
" ni, per quę diuinę efficimur cōſortes naturę, ſub-
" ſtantiam tamē panis & vini permanere minimè
" diffitetur. Quid porrò verba illa *Auguſtini quū
Auguſt. in Io. 6. tract. 26 lectitas? Et nos hodie accipimus viſibilem cibum. &c. Quid inquam, quum vndique lectiſſimorum patrum circumſonant aures tuas teſtimonia, de cibo viſibili, de pane qui frangitur, de vino quod de botris exprimitur, de materia, de ſubſtantia ipſa panis & vini: quum tot iſti, quos recenſui autores panem tibi & vinum, velut in os ingerunt: tu tamen nec panem accipis nec vinum, nec quicquam hic conſpici aliud, præter phanaticas & aniles ſolùm ſpecies, & accidentia panis arbitrare? Dignus meo quidē iudicio, qui iſtiuſmodi accidētiū lautitijs perpetuo victites.

Actus panis an maneat in ſacramēto ſimul cū ſpeciebus, & nomine panis, an non?

Cæterùm ne te premam vehementius teſtimonijs, mitto iſtud. Illud quæro, cum viſibiles ſpecies iſtæ, quas dicis, rerum quæ ante fuerunt, vocubula teneant, ſcire id velim, an cum vocabulis ipſis, vim etiam earum rerum actionemq; contineant, qua paſcere, & nutrire dicantur, an non? Si annuis, næ tu pulchrè igitur homines dimittis ſaginatos, quos coloribus nimirum paſcis, & ſpectris accidentium: haud multum diſſimili ratione, atque ſi quis piper, quia nigreſcat, aut ſalem propter externum candorē, ideo mordere illud, iſtud condire ac perfricare dixerit.

Sin neges: quæ tum conſtabit ſimilitudinis conuenientia, inter ſacramentum hoc, quod in ſpeciebus iſtis cōſtituis, & carnem Domini: quū

neque species vim vllam reficiendi habeant, nec tu vllam panis substantiam nobis relinquas, qua pascamur? Quid enim? an caro Christi non alia ratione interiorem hominem sustentat, quàm externa spectra panis & vini saginant corpus? perquàm igitur præclaram Lombarde refectionem nobis apperuisti, vbi nec corpus pascitur, nec anima. Etenim si interior anima nihilo plus accipit à carne Christi, quàm externa corpora nostra à visibilibus formis, quantulum hinc redibit ad nos nutrimenti, cæteris hac de re cogitandum relinquo.

Nulla similitudo inter accidentia, & corpus Christi.

Quin nec minùs ineptum & illud videtur, vanissimæ distinctionis nugamentum: De sacramento & non re: De re & sacramento: De re, & non sacramento. Cuius partitionis nulla omninò pars non est falsissima. Primum, quòd sacramentum in formis quibusdam vacuis, & metaphysicis, à re ipsa seiunctis constituit, in eo non tam ab omni ratione, & veterum autoritate aberrat, quàm sibi etiam ipsi turpissimè repugnat. Modò enim differens de sacramenti conditione, talem esse eam dicebat oportere, quæ corpora sumentium reficeret. Atquî phanaticæ istæ species à rebus semotæ neminem reficiunt. Sunt proinde nullo modo sacramentum corporis. Deinde quòd easdem has species visibiles sacramentum esse tantum dicit, idque geminæ rei, quia vtramque & significent, & vtriusque similitudinem gerunte xpressam, vtrinque id falsum est. Primum enim quæ res nec panis sit, nec corpus

Li. 4. Dist. 8.
1. Sacramẽtum tantũ.
2. Sacramentum & res.
3. Res, & nõ sacramentum.

Argumentũ, in secunda figura. Baroco.

pus sit, nec res, vt ait, sed sacramentum tantum rei, nec creatura, sed accidens creaturæ, nec substantia vlla existat, quî fieri potest, vt ea res, quæ res non sit, rei ac substantiæ alicuius, adeoq́ue geminæ rei sacramentum esse videatur? Aut quæ tandem similitudo videbitur, inter Chymericas has formas, & corpus Christi, siue verum siue mysticum, quorum in altero nutrimentum, in altero vnitatem accipimus, quum in formis illis nulla insit omninò, neque corporis animiq́ue refectio: nec vlla partium ac membrorum adunitio? Ad hæc quum idem Lombardus verã Christi carnem sacramentum esse affirmat ecclesiasticæ vnitatis: quomodo cohærebit ipse sibi, qui species nunc visibiles sacramentum astruit huiusce coniunctionis? Quid hoc monstri velit? Vt iam satis illi non sit, visibiles suas formas sacramentum geminæ rei posuisse, nisi & eiusdem rei geminum nobis sacramentum producat? Verùm non satis meminerat fortasse sententiarum hic magister, veteris sententiæ, Memorem esse mendacem oportere.

Species visibiles, sacramentum esse geminæ rei & veri corporis & mystici negatur.

Contra Lombardum arguitur, qui astruit verum Christi corpus sacramẽtum esse corporis mystici, i. ecclesiæ.

Atque hactenus quid tantum sacramentum sit, & non res, abunde opinor, intelligitis. Secundo nunc loco, aliud ænigma spyngium accipite, non minus altero perplexum & spinosum? Quidnam illud sit, quod & res sit, idemq; etiam sacramentum: quod si ipse nequeas ingeniose lector (scio enim per te ipsum non posse) diuinando assequi, hic Oedipus ænigmatistes tibi indicabit. Dicet enim veram Christi carnem esse,

Res sacramenti, & sacramentum rei, quid sit & quo modo, iuxta Lombardum.

quæ

quæ & res sit, ratione visibilis formæ panis, sub qua continetur & significatur: sacramentum itẽ existat mystici corporis, quatenus videlicet mysticam ecclesiasticæ charitatis vnitatem significat, eiusque expressam refert imaginẽ. O Chrysippeum ex intima Lombardia acumen? At vnde habetur expressa ista sacramenti huius imago, quam narrat Lombardus? Ex D. Paulo primùm vbi ait: Vnus panis, & vnum corpus multi sumus. Deinde ex Augustini verbis: vnus panis, inquit, & vnum corpus ecclesia dicitur, pro eo, quòd sicut vnus panis ex multis granis, & vnum corpus ex multis membris conficitur, sic ecclesia ex multis fidelibus, charitate copulante, connectitur. Atquî ex D. Paulo vniuersa huius similitudinis analogia, non à corpore Christi, sed solùm à pane ducitur! Atque vt id fateamur nonnullam intercedere proportionem, inter corpus Christi verum, & mysticum, non omnis tamen similitudo sacramentum efficit, licet omne sacramentum similitudinem aliquam contineat. Cæterùm vndè hoc habet Lombardus, vt verum Christi corpus sacramentum esse doceat corporis mystici? An quia similitudinem eius exprimit? At multa similia in rerum natura videntur, quæ tamen sacramenta non sunt. Quòd si sacramenta nulla in ecclesiam recipiantur, nisi quæ ex diuina solùm institutione proficiscuntur, ostendat Lombardus, vbi institutio diuina corpus suum verum, in sacramẽtum mystici sui corporis commendauit. Deindè, si ostenderit,

Ex Lombardi theologia esse nobis cõflantur sacramenta.

1. Cor. 10.

August. de sacramentis fidelium. Vide August. contra Donatistas, li. 7. c. 50.

Non omnia similia sunt sacramenta.

quî vitare possit, quin eadē opera octo nobis sacramenta in ecclesiam necessariò inducat. Nam si præter Eucharistiā, sex alia recipiantur sacramenta, atq; in Eucharistia gemina alia sacramēta statuantur, quorū alterum sit visibilis species, continens & significans verum Christi corpus, & mysticum: Alterum sit corpus ipsum verum, quod expressam gerat imaginem corporis mystici, ex his octo proindè iam consurgant sacramenta necesse est.

Ex Lombardica theologia octo nobis cōflantur sacramenta.

Subit tertio deinceps loco, quod de re & non sacramēto notauit. Cui quū id etiā concedamus, quod de mystica ecclesiæ vnitate, & vnius corporis multis membris disserit, tamen hæc ipsa vnitas, ad rem sacramenti haud quicquā attinet. Neq; enim ideò instituta est hęc cœna, vt vnitatem corporis mystici designaret, verū vt symbolum esset veri corporis, quod neci pro nobis exponebatur. Idq; ipse ijs verbis explicatissimè testatur: Accipite, inquit, manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Est igitur corpus pro nobis confixum & vulneratū, ipsissima res huiusce sacramenti, non ecclesia. Neq; enim ecclesiā Christi pro nobis traditā esse quisquam fatebitur. Præterea etsi vnitas hæc locum haberet aliquem in sacra synaxi: tamen ineptum & falsum est, quòd sacramētū mystica huius corporis in vero Christi corpore positum esse prædicat, quum Paulus hoc cōiunctionis mysteriū, non ad corpus Christi crucifixum pro nobis, sed ad elementa panis & vini accommodat. Vnus, inquit,

Res & non sacramentum.

Res sacramēti non est mystici corporis vnitas, sed naturalis corporis passio.

inquit, panis, & vnum corpus multi sumus, ac si „
diceret: Vnus panis multa grana, vna ecclesia „
multa membra. Quæ Apostoli similitudo, si ad „
panem sacramentariũ astringenda sit, vt nec ipse *1. Cor. 10.*
negat Lõbardus, quæ tum constabit similitudi- „
nis ratio, inter grana panis, & ecclesiæ membra,
si neq; panem, ac ne granum quidem vnum pa-
nis in sacramẽto relinquant nobis Papistarũ filij.

Succurret hîc, credo, Lombardica Theolo-
gia, à panis substantia nos reuocans, ad corpus
Christi sub speciebus ὑποκείμενον. Sic enim refert: *Lib. 4. dist. 8.*
Habet corpus hoc, inquit, similitudinem cum re
mystica, quæ est vnitas fidelium. &c. At contrà
Paulus, non à corpore Christi, sed à pane omnẽ
hanc ducit similitudinis proportionem, quum
ait: Vnus panis, & vnum ecclesiæ corpus multi
sumus. Vnde accipies nunc, Lõbarde, quod tibi
opponimus, ex Paulo atq; Augustino argumẽtũ.

Argumentũ cõtra dogma Lombardi.

Sicut ex multis granis cõficitur vnus panis,
& ex pluribus acinis vinum in vnum cõfluit:
sic ex multis fidelium personis, ecclesiæ cor-
pus in vnitatẽ solidæ coniunctionis coalescit.

At nulla insunt grana, nec acini in visibilib9
formis, neq; in Christi corpore naturali.

Quapropter non à nudis speciebus, nec à
corpore Christi, sed solùm à pane & vino,
omnis hæc ducitur similitudo de mystica ec-
clesiæ vnitate.

Sacramentũ Eucharistiæ non in hoc institutum, vt vnanimitatẽ ecclesiæ designaret.

Argumẽtum aliud.

Omne sacramẽtũ habet expressã à Christo
institutionem ad certam rem aliquam de-
monstrandam.

Corpus Christi, quatenus ex varijs constat partibus, nusquam est institutum à Christo pro sacramento, ad significandam ecclesiæ vnitatem.

Ergo vnitas ecclesiæ non est res huius sacramenti, cuius meminit Lombardus.

Argumẽtum tertium.

Cuilibet relatiuo respõdet suum correlatiuũ, quod nisi vnũ esse nõ potest, vni respõdẽs.

Omnia sacramenta, vt signa sunt rerum signatarum, relatiua existunt.

Lib. 4. dist. 8.

Ergo visibilis species vt sacramentum est, iuxta Lombardum, sacramentum geminę rei esse non potest.

Triplex Lombardi error.

Octauũ Lõbardi sacramentum.

Itaque triplex hic error Lombardi cernitur: primum quòd visibilem speciem, sacramentum facit corporis veri, & mystici. Deinde, quòd corpus Domini, tanquam octauum sacramentum constituit ad significandam ecclesiæ vnanimitatem, quum nusquam Dominus pro sacramento corpus suum instituit: neq; ad eũ finem, vt vnitatem designaret, in cœna dedit. Tertiò, quòd hanc ipsam vnitatem ecclesiæ rem huiusmodi faciat, quæ vtriq; sacramentali signo, tanquã vtriusque signi correlatiuum respõdeat: quod fieri non potest, quum vnius relatiui, geminum esse correlatiuum, sit absurdissimum.

Iam specta mihi, lector cordate, quisquis es, quàm nefariè Theologi isti omnem panis substantiam è sacramento excutiunt, quò sua infulciant sacrilegia. Nã si mystica hæc fideliũ vnitas, res sit sacramẽti: siq; sacramẽtũ huiusce rei nõ panis sit, sed propriũ Christi corp⁹ de virgine natũ,

sicut

sicut cõtendũt, necessariò hinc efficitur, vt ecclesia tanto potior corpore domini habeatur, quãto signa sunt rebus ipsis, quibus exprimendis adhibentur, inferiora.

Signa sunt rebus ipsis, quibus significandis destinantur, inferiora. *Argument.*

Corpus Christi naturale, signum est, iuxta Lombardum, ecclesiasticæ vnitatis.

Ergo corpus Christi naturale inferius est ecclesiastica vnitate.

Quod quum dictu infandum sit, tum illud multò scelestius, quòd rem ipsam & virtutem sacramenti, quæ propriè dominicæ passioni tribuenda sit, isti à virtute passionis, ad vnitatem: à corpore filij Dei ad ecclesiam transferunt. Perindè quasi non alia causa instituta sit sacrosancta cœnæ huius commemoratio, nisi ad designandam ecclesiæ charitatem: quum longè aliud fuisse constat, quo mens domini spectarit in instituendo hoc sacramento. Id quod ex ipsis cœnæ verbis, & circumstantijs verborum compertissimum sit. Etenim quum accipere, & manducare præciperet dominus, non ita ait: hoc est corpus meum mysticum, quod ex pluribus ecclesiæ membris coalescet: Sed hoc est corpus meũ, quod pro vobis traditur. Vndè si in diatribis theologorum, non in publica luce versarer, nunc mihi, argumentis agendum foret, hunc in modũ cum aduersarijs contenderem.

Cœna domini in quẽ finem instituta sit.

Res quæ propriè designatur in hoc sacramẽto sola caro Christi est pro nobis tradita. *Argumentũ.*

Virtus vnitatis & charitatis ecclesiæ, non est pro nobis tradita.

Itaque nullo modo res sacramenti dicenda est.

Visibilis species non est sacramentũ geminæ rei, imò ne vnius quidem.

Falsum proindè atque explodendum dogma illud Lombardi, quo sacramentum hoc geminæ rei esse prædicat. Etsi equidem haud abnuerim, mysterium hoc vnitatis & coniunctæ charitatis, rem esse eximiæ virtutis, magnamque habere cum pane similitudinem, quemadmodum docet Paulus: Non tamen id docet Paulus, sacramentum in hoc institutum, aut ideò elementa panis & vini proposita ad manducandum, & bibendum, in hunc finem fuisse à domino, vt mysticam hanc vnitatem exprimerent, sed vt aliud designarent potius: nimirum vt ipsum corpus domini passurum pro nobis, id est, passionem domini repræsentarent, quæ verè nos vegetat ac viuificat.

Postulat igitur ratio huius sacramenti, vt & sacramentum ipsum, & res etiam sacramenti eam habeant conditionem, vt possit vtrunque alere & reficere. Nam aliter quî conuenire possit similitudo signi cum re significata, nisi refectioni vnius, alterius respondeat refectio? Reficere autem nihil potest & nutrire, nisi prius manducetur: vt igitur duo sunt, quæ sustentant, ita & duo, quæ manducantur existunt. Quorum in altero sacramentum est corporis: in altero res ipsa exhibetur, proprij videlicet corporis passio.

Duo sunt, quæ in dominica cœna manducantur: alterum corporaliter, alterum spiritualiter.

Atque

Atque vt vtrumque pascit, ita vtrumque manducatur. Pascit panis: pascit & caro Christi in cruce posita, sed alio atque alio modo: Ille corporaliter, hæc spiritualiter: Ille externum hominē, hæc spiritualem nostri partem: Ille ad vitam præsentem, hæc ad futuram & sempiternam. Vita enim corporis, vt victu pastuq; quotidie producitur; consimilem in modum vita spiritualis Christi nititur passione. Quod quum antè præsensisset dominus, non absq; grauissima ratione, id de se dixerat: Caro mea verè est cibus: Sanguis meus verè est potus: Per sanguinem nimirum intelligens cruentam carnis suæ mactationem. Vt igitur duplex est hominum vita, terrena, & cœlestis: ita vtraq; suum habet pastum. Illa cibis & pane sustentatur: hæc morte domini comparatur. Ideoq; nihil* accommodatius fieri potuit, quàm vt panem cum calice dominus commendaret in suę passionis memoriam; propter conuenientem naturæ similitudinis aptitudinem.

Hincq; omnis illa fluxit huius sacramenti ratio, quod panis & vinum nomine corporis & sanguinis appellantur: non quòd substantias suas res ipsæ permutent, sed peruulgato loquendi more, quo fieri consueuit per omnes ferè linguas, tum omnium maximè in scripturis mysticis: vt res *significantes, earum sortiantur vocabula, quas significent. Quod quum innumeris scripturę exemplis testatissimum sit, tum in hoc potissimum sacramento, & fidem habet & locum: vbi corporis vocabulum pani tribuitur, substantia

* *Rabanus Maurus.* Panis corporalis cógruenter corpus Christi núcupatur, quia cófirmat cor.

* *Aug. de ciuita. Dei lib.* 18. *cap.* 48. Omnia significantia videntur quodammodo, earum rerum, quas significant, sustinere personas.

verò

Genes. 41.
Esai. 40.
Mat. 13.
Ioan. 15.
Ioan. 10.
Mat. 15.
Ioan. 19.

verò nequaquam nihilo certè aliter, atque in Genesi, quum septem spicæ septem anni dicuntur, caro fœnum: semen verbum: ager mundus: pater Agricola: Christus vitis, aut agnus. Apostoli sal terræ: Simon petra: Ioannes virginis filius non solùm à Christo sic appellatus: verùm ab ipsa etiam matre, iubente domino, pro filio susceptus. Neque tamen quisquam propterea dixerit, sub specie & forma discipuli verè & natura ipsa vel hunc illius filium, vel illam hujus matrē fuisse. Aliud est enim vocatione matrem dici, aliud natura existere. Nec secùs res habet in sacramentis, in quibus non quid sint, sed quid dicantur, & quam ob rem dicantur, spectandū est. Multa enim cum apud nos, tum in scripturis maximè, vel ornantur, vel describuntur *alienis sæpè nominibus, vbi nulla fit substantiæ commutatio: sed causa solùm ratioque vocantis perpenditur. Sic Christus panem corpus vocauit suum, minimè huc spectans, vt substantiam alterius in alterū transmutaret (neq; enim ad rem istud pertinebat) sed vt vim passionis suę exprimeret, idcirco *panem viniq; calicem accepit, vocauitq; corpus & sanguinem suum, quem pro

August. contra Maximinum. Cap. 22. Hæc enim sunt sacramenta in quibus non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur, quoniam signa sunt rerum aliud existentia, aliud significantia.

**Beda citans August. 1. Cor. 10.* In sacramentis aliud videtur seu vocatur, aliud intelligitur.

**Gelasius contra Entychetem.* Non desinit esse substantia vel natura panis & vini.

Chrysost. ad Cæsarium. Natura panis remanet in sacramento. *Theodoretus.* Christus naturam panis non mutat.

delictis

delictis nostris impenderet. Nec vocauit solum, sed etiam nomine corporis sui manducandum hauriendumque in cœna propinauit. Ita & ante cœnam,* carnem ipse suam cibum, panemque de cœlo pascentem, haud dissimili tropo nuncupat. Verùm ne quis in verbis aberret, audiamus censeo Augustini consilium: qui Psalmum explicans.33. in quo dicitur, Dauid mutasse vultum suum corá Ahimelech (aliàs coram Achis) figurá hanc mutati vultus transfert ad verba Christi de cœna sui corporis & sanguinis edita: Sicut enim Dauid coram Achis rege vultum dissimulasse in historia fertur, aliud foris, aliud in simu intus gestás: Haud dissimili ratione dominus ipse de carne & sanguine verba faciens, velut mutato vultu coram Achis (rege videlicet ignorátiæ) aliud verborum specie exprimere, aliud interno mysterio occultare apud Capernaitas (populum videlicet ignorantiæ) videtur Augustino. Vndè & is* pulsare nos iubet, quasi clausum hîc lateat aliquid, nec hærere nos in litera, quæ occidit, sed ad intellectum spiritualem, qui viuificat, proficere admonet. Quoniam intellectus, inquit, spiritualis credentem saluum facit.

*Aug. Epi. 23 ad Bonifaciu. Cœlestis panis qui caro Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, cum reuera sit sacramentum corporis Christi.

*Aug. in Psa. 33. Clausum est hic aliquid pulsa: noli hærere in litera, quia litera occidit: sed desidera spiritum, spiritus enim viuificat.

Et pergens porrò in eadē collatione: qua regē Achis, i. regnum erroris, cum Capernaitis, & Dauidem cum Christo comparare, subinfert in hūc modum: Quādo

August. in eundem Psalm. Quando loquebatur Dominus noster Iesus Christus de corpore suo, nisi quis manducauerit carnem meam &c. Discipuli eius, qui eum sequebantur, exhorruerunt sermonem, & non intelligentes putauerunt nescio quid durum dicere

le domini, quasi dicentes cum Achis, quomodo est? Quia mutauerat ille vultum suum: quasi insanire illis videbatur, sed regi Achis insanire videbatur, id est, stultis & ignorantibus, ideo dimisit eos & abijt, fugit corde eorum intellectus, ne possent eum comprehendere, &c.

loquebatur Dominus Iesus de corpore suo: Nisi quis manducauerit carnē meam, & biberit sanguinem, discipuli exhorruerunt sermonē, non intelligentes. Videbatur enim illis Dominus in mutatione vultus sui, quasi insanire, quū de carne ipsius manducanda diceret. Ideoq; abreptitiū putabant dominum, & nescire quid loqueretur, & insanire. Sed regi Achis videbatur insanire, id est, stultis & ignorantibus, ideo dimisit eos & abijt, vel ipsi potius ab eo abierunt, quia durus eis sermo videbatur. Quum tamen durus nō esset sermo, sed ipsi erant duri, non sermo. Qui si ab eo nō abijssent, (sed cū reliquis Apostolis perstitissent) recte eos admonuisset, quo sensu verba acciperent, ipsisq; fecit & reliquos *instruxit apostolos, quū diceret illis: spiritus est, qui viuificat, caro autē nihil prodest. Verba, quę loquutus sum vobis, spiritus sunt & vita. Perinde ac si diceret, Interprete Aug. Spiritualiter intelligite, quod loquutus sum. Nō hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinē, quē fusuri sunt qui me crucifigent, sacramentū aliquod vobis cōmendaui: spiritualiter intellectum viuificabit vos. Ex quo nemini non videatur, nisi nihil videat, quid mens domini, in perstingēda hac cœna cogitârit, & quas nos cogitationes ad hęc mysteria adferre, *quo ore, quibusq; instrumētis suscipi à nobis panē hunc corporis sui voluerit

* *August. in Psal. 98.*

* *Aug. cont. aduersar. leg. & prophet. lib. 2. Cap. 9.* Meditatorē Dei & hominum, hominem Christum Iesum carnē suā nobis manducandā, sangui-

lucerit. Id nimirū agens, vt energiā spiritualē* passionis suę energiā fidei in illū nostræ exponeret. Nō potuit autem expressiore similitudine, quàm propositis his quasi vitæ nostræ fundamentis, quæ ad quotidianam alimoniæ necessitatem subseruiunt.

Basil. de Baptis. Quid vtilitatis habent hæc verba? Nēpe vt edentes & bibentes perpetuo memores simus eius, qui pro nobis mortuus est ac resurrexit.

**Ambros. in 1. Cor. 11.* Quia morte domini liberati sum⁹, huius rei memores in edēdo & potādo carnē & sanguine, quæ pro nobis oblata sunt significam⁹.

Causam hactenus exposui, satis nisi fallor probatam, quamobrem dominus sacramentum corporis & sanguinis sui, in pane & vino instituerit, nempè vt vim fructumque salutiferæ suæ mactationis, non solùm fidei & memoriæ, sed sensibus etiam nostris aptissima similitudine repræsentaret. Quæ similitudo, quum sine pane & vino constare nulla ratione possit, eò fit, vt retento pane, tropum necessariò adhibeamus, quo panem corpus Christi, corpusque Christi panem esse vitæ, verissimè dicimus. Namque si Lōbardo ita loqui licuit: in* pane, id est, in forma panis, in sacramento, id est, in specie visibili. Itē vbi* pars corporis, ibi est totū &c (quæ sine tropo effari nemo poterit) cur non æquè & nobis, eodem tropo affirmare licebit, panem esse corpus Christi, illo panem significare corpus Christi: quo permittat ille sibi dicere, species visibilis, est panis: species, id est, panis, significat corpus Christi.

Tropi necessitas in verbis cœnæ.

**Sentent. lib. 4. dist. 12.*

Est ibi vera fractio & partitio, quæ fit in pane, id est, in forma panis. *Rursus.* Ibidem. Fractio & partes in sacramento fiunt, hoc est, in specie visibili, Lombard.

*Ibidem.** Vbi pars est corporis, ibi est totum, &c.

At contra August. Epist. 57. Omnis magnitudo, inquit, minor est in parte, quàm in toto.

Caussa cur dominus sacramentum corporis sui in cœna institueret, excutitur.

Superest vt ipse nunc (Rom. pontifex) cum tuis τοῖς ὀυςζατομυταις caussam vicissim nobis edisseras, cur panem è sacramento fugitiuum probellitis, cur tropum hic in totũ prohibetis. Ita enim docetis, in hoc sacramento non panẽ, sed corpus ipsum simpliciter, & realiter manducari. Age, & qua tandẽ caussa, vel dominus carnem si ipse suam conuiuis apponeret, vel nos id credere oporteret existimatis? Dices, vt carnes nostras per se debiles & impuras sacrosancta sua carne pasceret. Idẽ & Capernaitæ multo ante vos, eadem aberrãtes chorda olim existimârunt, & scandalizati

Cyril. Catechis. Mystag. 4. Iudæi non audiẽtes verba Christi secundũ spiritũ scandalizati abierũt retro, eo quod existimarunt sese ad humanarum carnium esum incitari.

vt refert Cyrillus, in verbis domini, recesserunt. Atque quod illis respondet Dominus, idem & vobis nunc responsum accipite, Caro, inquit, non prodest quicquam; videlicet non de carne sua simpliciter, quæ nata, quæ crucifixa pro nobis & resurgens plurimum profuit, sed de manducatione nostra sui corporis intelligens. Iuxta quam manducandi rationem, si Christus ipse carnem suam prorsus inutilem vobis confitetur, an vos vniuersam sacramenti vtilitatem in carnis manducatione statuetis? & post hæc à nobis id contenditis, vt repudiata Christi ipsius interpretatione, qui verba sua vitam spiritumque esse testatur, vestram hanc de carnali esu grammaticam, pro sana & catholica theologia amplectamur?

Capernaitarum cum papistis comparatio.

Occupatio.

At rursum occupabit hîc vestrûm aliquis. Quum dominus de corpore suo verba faceret, nulla significandi voce vsus est. Neque ita dicebat: Hoc significat corpus meum, sed simplici-

ter absque tropo, hoc esse corpus suum profitebatur. Verùm hunc nodum in scirpo quæsitum persacilè nobis discutiet Augustinus: Qui contra Adimantum scribens, inter cætera præcepta in signo posita, & hanc ipsam in Euangelio loquutionem adnumerat. Non dubitauit, inquit, dicere, hoc est corpus meum, quum signum daret corporis sui. Certè si signum dabat sui corporis, non poterat non dare aliquid, in quo corpus suum significaret. Et si vox significandi minus expressa sit, ne idem neque ab Apostolo huiusmodi vox vlla exprimebatur, quum de petra diceret, sicut idem habet Augustinus: Non enim ait Apostolus, petra significabat Christum, sed petra erat Christus, quum tamen dubitandum sit nemini, eam Apostoli mentem fuisse, non vt petra re vera Christus esset, sed vt significaret Christum. Aut si nondum placuit istos Augustini satis responsio, pro Augustino respondeat Ambrosius: Qui aperto etiam significandi vocabulo rem exprimens, Quia, inquit, morte Domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.

Quòd si verò singula Christi dicta (quæ nusquam non scatent figuris & parabolis) ad eandem literæ regulam libranda sint, quin igitur templi ostium ingressuri adoremus, quia pari verborum expressione dicebat dominus: Ego sum ostium, per me si quis ingredietur &c. vbi nulla auditur significandi mentio, qua se ostium

Dilutio.

Aug. contra Adimantum cap. 12.

Obiectio. Nõ dixit Christus: hoc significat corpus meum, sed hoc est corpus meum, Ergo simpliciter est corpus Christi.

Resp. Aug. Paulus non dixit, Petra significabat Christum: sed Petra erat Christus. Ergo Petra simpliciter erat Christus.

Aug. de ciuit. dei li. 18. cap. 48. Quia quodã modo omnia significantia, rerũ quas significãt sustinent personas.

 non

stinent personas: Sicut dictũ est ab Apost. Petra erat Christus, quũ tamẽ significabat Christum.

Galat. 3.

Christus non alia ratione manducatur in cœna, quàm induitur in baptismo.

Præcepta Christi non omnia ad literam exigẽda sunt.

Figuratè dicta.

non esse, sed significare diceret. Atque hîc relicta quidem grammatica, tropum vos amplecti video: Nec immeritò. Et quid obstat scrupuli, quo minùs & hæc perindè figurata vobis loquutio videatur, quum dicat, Hoc est corpus meum? Aut qui minùs à tropo ista abhorret dictio, qua Christum induere in scriptis sacris, quàm qua mandùcare Christum dicimur? Prædicat Paulus, Omnes qui baptizati estis, Christum induistis: & tropum agnoscitis, prædicat Christus sese verè esse vitæ nostræ pabulum, iubetq; mãducare, hoc esse corpus suum dicens, & tropũ hîc nullum cernitis. Et quid ita obsecro? aut quæ vos inducat ratio, vt quum induendo Christum prorsus sitis spirituales, in deuorando Christum carnales videamini: Illic mentem, hîc dentem parantes & ventrem.

Verum intelligo quid hîc vos scrupuli torquet, quippe quia in verbis cœnæ peculiare percipitur mandatum Christi, quo facere hoc iubemur in ipsius memoriam. Age, & id vobis sat causę videtur, cur abiecto tropo, à diuina Theologia, ad puerilem grammaticam, à spiritu ad carnem, à vita ad ventrem deflectatis? Quid igitur quum D. Paulus non solùm nos Christo indutos facit, sed mandat etiam vt eum induamus? quumque idem gladium iubet in manus arripere, quem expresso nomine appellat verbum Dei, fidemque clypeum nominat, quo nos armari iubet, an propterea deserto spiritu, κατὰ τὸ ῥητὸν καὶ κυριολογίαν præcepta hæc Apostolica

exige-

exigemus? Quæso ego te, Romane pótifex, quũ iubet beata virgo discipulum Christi (vt ante dictum est) habere pro filio, nos idcirco cum filium eius vterinum statuemus? Monentur homines sese castrare propter regnũ Dei: quid an ideó cum Origene in carne literę insaniemus? præcipit illas Dominus, vt oculum si sit offendiculo, eruamus, similiter vt manum etiam pedemq; dextrum amputemus offendentem: quin & idē verbis clarissimis vetat, ne quis patris nomine aut Rabbi à quoquam salutetur: ne quis subrũm locum in consessu superiorem vsurpet, an quisquam ideò vestrûm ad euangelicas hasce præceptiones amputata manu, aut effosso oculo sese mutilabit, aut nefas putabit Episcopos cæteris præsidem in ecclesijs? Non arbitror: factu enim dices absurdum. Et vtrum tibi absurdius videtur manum è corpore detruncare, aut oculum eruere, aut pedem tibi dextrum præscindere, quàm hominem & viuum & integrum cum manibus simul & pedibus, oculisque cum cute, ossibus & sanguine, cumque ipsis porrò visceribus, vnguibus neruis, musculis totum vno morsu in abdomen demergere?

Aug. de doctrina Christiana lib. 3. cap. 10.

Mat. 5.

Aug. lib. eod. cap. 16.

Absurditas literæ in dictis & mysteriis Christi.

Et tamen tot, tantaq́; in hac vna re, quas cernis absurditates, quas nec ipsa rerũ natura perferre poterit, *crassas & pingues tuas cogitationes ad spiritualem horum verborum intelligentiam non reuocabunt? Qua in re, si partim vel ipse tuis sensibus, ra-

** Cyrillus ad obiecta Theodoreti.*
Sacramentum nostrum hominis manducationé non asserit, mentes credentium ad crassas cogitationes irreligiose introducens.

tionibus; fidas vel nostro minus iuditio tribuas (Rom. pontifex) debet tamen non ita leuis videri August. autoritas. Qui opere de doctrina Christiana disserẽs de modo dijudicãdę loquutionis, propriane sit, an figurata: inter cæteras præceptiones hanc præscribit regulã, vt si quæ loquutio flagitiũ aut facin⁹ videatur iubere, figurata censeatur. Atq; ne quis causetur id minimè ad eucharistiam pertinere: vel ipsi sui interpres audiatur Augustinus. Qui hanc ipsam regulam maximè ad verba illa accommodat, de manducatione carnis, & sanguinis potione: In quibus Christi

Aug. de doctrina Christiana lib. 3. cap. 10.

" verbis, inquit, quoniam flagitium mandari vi-
" detur, hinc ille concludit in hæc verba: figura est
" ergo, ait, præcipiens, passioni Domini esse com-
" municandum suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Quid his Augustini verbis explicatius? Quid autoritate grauius? Quæ si vera concedimus, aut igitur explodenda vobis recens hæc est ἡ καινοπρέπεια transubstantiationis Papisticæ, aut flagitium immane incurrendum, multaque absurda præter naturam, velimus nolimus, admittenda sunt.

Aug. lib. eodẽ cap. 16.

Quid enim flagitiosius, quid atrocius non patrare modò, sed cogitare etiam quisquam poterit, aut indignius corpore Domini, quàm panem & vinum χωρίζειν [illegible] è sacramẽto, vt eorũ loco Christi carnes substituat, quas realiter & corporaliter dentibus atteras, faucibus comminuas, in ventriculum traijcias, sanguinemq; hu-

Flagitium & facinus in excedendo Christi corpore.

manum

manum absorbeas, porrò si naturam spectes ipsam, quid dictu absurdius, καὶ ἀλογώτερον, quàm vnum, eũdemque Christum naturali sua & corporali præsentia & cœlum possidere, simul & in mundo tractari? vnius corporis substantiam & finitam esse, & locis infinitis contineri: vnam Christi personam esse, & tamen duo habere cũ corporum genera, quorum vnum locale sit tantum, reliqua illius corpora omnia non esse localia: Esse in loco, & tamen nullum certum complere locum: verum esse hominis & naturale corpus, neq; tamen rotundum esse, neque latum, neq; crassum, neque breue, neque longũ, nullamque in se habere proportionem vel distãtiam partium, veluti inter hunc & illum oculũ, inter oculos & aurem, inter caput & pedem: sed vbi oculus, ibi auris, vbi brachium ibi manus, denique calx, digitus, caput & pes omnia vnum sint, & singula aliud, & vniuersa vnum Christi corpus, plenum esse & integrum, in decies mille locis diuersis, & tamen ista omnia vnum tantum corpus efficiant? Atquî hoc quid aliud est, quàm cum heretico Euticheteïn astruenda diuinitate, veritatem interim humanitatis prorsus euertere, Deum atq; hominem, cœlum ac terram in vnum pariter confundere?

Absurditas in transubstantiatione Papistica.

August. epist. 57. Qui dicit Christi corpus in cœlo pariter & in terra eodem tempore esse, naturam corporis Christi funditus dissoluit ac destruit.

August. in sermon. ad Infantes. Christus leuauit corpus suum in cœlum, vnde venturus est vt iudicet viuos & mortuos. Ibi est modo sedens ad dexteram patris. Quomodo est panis corpus eius? & calix vel quod habet calix, sanguis eius? Ista fratres, ideo dicũtur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur.

Aug. Epist. 57. ad Dardanum.

Qua de re iterum Augustinũ audiamus. Noli dubitare, inquit, ibi nunc esse hominem Christum Iesum vnde venturus est, memoriterq; recole & fideliter tene, Christianam confessionem quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlũ, sedet ad dextram patris, nec aliunde, quàm inde venturus est ad viuos & mortuos iudicandos in eadẽ corporis forma & substantia, cui is immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundũ hanc formam non est putandus vbiq; diffusus. Cauendum est enim ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo, ita sit vbiq;, vt Deus: Itidem & nos in illo viuimus mouemur & sumus, nec tamen sicut ille vbique sumus, sed aliter homo ille in Deo, aliter Deus ille in homine, proprio quodã & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrũque vnus Christus Iesus: vbiq; per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo est. &c. Habetis Augustini expositam modò sententiam de Sacramento corporis, verbis non minus perspicuam, ratione illustrem, quàm pondere & autoritate grauem. Cui si nihil præterea accederet, sat nobis vel in vno hoc testimonio præsidij positum arbitrarer, ad refellendam Pontificiæ doctrinæ absurditatem.

Nunc ne hunc tanquam solũ ex omnibus, sed vnum è multis producere videamur, non tã Augustinum ipsum, quàm Augustinianę ætatis cõmunem hac de re fidem, & consensionem doctorum patrum, doctrinæque antiquitatem in Augustino

gustino spectandam proponimus, quid enim aliud publica tum ecclesiæ vox sonabat, quid etiamnum scripta illorum referunt, quid literæ testantur aliud, quàm quod nos hodie ex primis illis acceptum magistris didicimus? Quo tum vt tum quisque ad Apostolicam illam antiquitatē accessit propius, hoc longius abfuit ab hoc trāsubstantiationis νεωτερισμῷ, verius dixerim delirio. Quod quum multis per se liquidissimū sit, tum hinc facilimè perspicias, quando de adoratione huiusce sacramenti, de transubstantiatione, reseruatione, gestatione, de appendicibus, & formis sine subiecto, de substantia panis remouenda, nemo ætate illa primitiua verbum vnquam fecerit, at panem & vinum vno ore omnes clamitant, signum esse corporis & sanguinis: quidam figuram vocant, alij antitypon, alij typum dicunt, quidam similitudinem & imaginem, multi symbolum, omnes sacramentum esse corporis confitentur: à quibusdā corpus pane repræsentari, à nonnullis ostendi, ab alijs significari, nonnunquam & figurari dicitur.

Tertullianus expressè inquit, Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei, & alibi: Christus panē corpus suum appellauit. Nec minus expressè Origines, προσφέρει δὲ ἐκκλησία τὰ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος σύμβολα. Nazianzenus hæc habet, ἣ καὶ τὴν ἰ... ἀπεξαμένη κοινῇ πρόσωπον καὶ τοὺς τύπους τῆς ἐμῆς σωτηρίας, ὅσους ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ τελῶ σώματος. Ambrosius ante benedictionem, inquit, verborum aliæ species, nominantur, post consecrationem corpus Christi significatur, & alibi. In

Signum.
Figura.
Antitypon.
Typus.
Similitudo.
Imago.
Symbolum.
Represētatio.
Sacramentū.
Tertul. contra Marcionem lib. 4.
Origenes
Naziāzenus ad cines Nazianzenos.
Ambrosi. de his qui initiātur. cap. 9.

Chriſoſt. in Epi. ad Heb. hom. 17. *Idē in Mat. hom. 83.* *Cyprianus li. 2. Epiſt. 3.* *Gelaſius contra Eutychetem.* *Theodoretus, Dialogo 1. dialog. 2.* *Bertramus.*

cuiꝰ typū nos calicē myſticū ſāguinis percipimꝰ. Nec minus apertè Chryſoſtomus: vt quotidie in ſimilitudinē corporis & ſanguinis Chriſti panē & vinum ſecundum ordinem Melchiſedech nobis oſtēderet in ſacramēto. Et rurſus, ſi mortuus Ieſus non eſt, cuius ſymbolū & ſignum hoc ſacrificium eſt? Cyprianus, in aqua, inquit, populus intelligitur in vino ſanguis oſtenditur. Gelaſij verbis quid luculentius? Imago, ait, & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebratur. Theodoretus, Chriſtus naturam panis non mutat, ſed adijcit gratiā. Rurſuſq; dialogo ſecūdo, myſtica enim ſymbola è natura ſua non egrediuntur. Quid Bertramū commemorē, qui morem ſui temporis referens, nec panem nec vinum tollit è ſacra cœna, ſed ſtatuit, ijs verbis: panis & vinum figuratè Chriſti corpus & ſanguis exiſtit: & mox, Corpus Chriſti, quod in eccleſiam per miſteriū geritur, ſecūdū quendam modū Corpus Chriſti eſt, & modus iſte in figura eſt & imagine. Prætereo hîc Baſilium qui panem ἀντίτυπον vocat. Accedit his Macarius, qui de pane & vino quàm clariſſimè teſtificans ἄρτος, ait, καὶ οἶνος ἀντίτυπος τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ αἵματος καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες ἐκ τοῦ φαινομένου ἄρτου πνευματικῶς τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσι. Irenæum iam de pane non excluſo ſed ſanctificato audiamus: panis, inquit, terrenus, accepta vocatione, à verbo Dei, non amplius eſt communis panis, ſed efficitur euchariſtia, quæ cōſtat ex duabus rebus, terrena, & cœleſti: & mox eodē loco.

Baſilius *Macarius hom. 27.* *Irenæus aduerſus Valentinianos. lib. 4. cap. 34.*

Quid

Quid intelligitur per cœlestem rem, nisi sancti- „
ficatio, quæ venit per inuocationē nominis Dei? „
Et quid per terrenam rem, quæ venit ex terra, ni- „
si verus panis: qui etiam ita nutrit corpora no- „
stra vt communis panis. Idemque rursus libro „
5. Quando mixtus calix, & fractus panis perci- „
pit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & san- „
guinis Christi, ex quibus augetur & consistit „
carnis nostræ substantia. „

In eandem sententiam concinit Iustinus Martyr Irenæo coætaneus, qui ita habet: Diaconi singulis præsentibus distribuunt ad participandum de pane & vino & aqua, super quibus gratię actæ sunt, aut ad absentes perferunt. Atque hoc quidem alimentum apud nos dicitur eucharistia, de qua nemini communicare licitum est, nisi eadem fide & Baptismo nobiscum imbutis, & secundum Christum viuentibus. Non enim vt communem panem potumq́; ista sumimus: Sed sicut Iesus carnem & sanguinem nostræ salutis causa ipse suscepit, eodem modo & nos alimoniā hanc eucharisticam, ex qua sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, Christi pro nobis incarnati carnem esse & sanguinem edocemur.

Iustinus Martyr. Apolog. 2. Panis & potus quæ transeunt in corporis nostri nutrimentum vocantur eucharistia.

εὐχαριστηθεῖσαν, id est, super quam recitantur preces & gratiarum actiones.

Possem præterea ex Athanasio nonnulla, plura ex Cyrillo, ex Epiphanio, Dydimo, alijsq; quā plurima attexere, quos si singulos in testimoniū accerserem, vix vllus esset testium finis. De grandioribus illis dico superioris memoriæ autoribus. Ex quibus haud ambiguum videri possit, nondum auditas esse visibiles istas species, & ap-

pendiculas panis sine subiecta materia: sicque dispensare corpus & sanguinem domini in sacra mensa, vt nihilo minùs panis & vinum, in eadem hac eucharistia semper apud illos permanserit: sic denique sub ratione cibi & potus corpus & sanguinem Christi contineri, vt sacramentum corporis semper haberet ecclesia, corpus absque sacramento minimè. Si verò non absq; sacramento, iam ex ipsa sacramenti appellatione facilè intelligas licebit quid de corpore hoc ipso censeas: quandoquidem aliud est sacramētū corporis, aliud corpus ipsum sacramenti. Quorum alterum alterius nomine dici quidem potest, res eadem existere nullo modo potest. Vt enim beatissima mater, quum Christum enixa esset, verum ipsum corpus propriè ac naturaliter, non sacramentum corporis ædidisse rectè dicitur: ita rursus sacrum hoc corporis sacramentum, quod sine matre, solo Dei verbo procreatum est, spirituali solùm ratione corpus dicitur: physicum verò ac naturale corpus, quod de virgine prodijt, dici haud rectè potest. Etsi vnus idemq; sit Christus, vbicunq; sit, non tamen vbiq; ille est iuxta naturam, quam à matre accepit: neq; verò vt nascitur, ita editur. Nascitur siquidem rei veritate: editur non nisi significante mysterio. In mysterijs symbola rerum, non veritas ipsa propriè continetur. In matre verbum caro factum est: in eucharistia verbi caro fit cibus noster: cibus, inquā, non gulæ aut ventris, sed mentis. Ex quo spiritualis ille cibus passim apud priscos ecclesiæ doctores

Sacramentū corporis semper habet ecclesia: corpus absq; sacramēto semper non habet iuxta illud: me non semper habetis.

Aliter nascitur Christus: aliter editur.

Aug. in Ioan. tract. 95. Panis iste interioris hominis quærit esuriē.

ctores haud immerito prædicatur. Quippe qui non corporibus pascendis conueniat: sed qui internam hominis esuriem expleat. Sicut enim ipsa fames non est externi corporis, sed interni hominis, quæ Christum esurit: ita caro Christi ad saginam ventris nullũ omninò præbet vsum, sed ad vitæ melioris alimoniam omnis eius subseruit vtilitas. Alioquì cur Paulus apostolus eos, qui carnem esuriunt, ad proprias ædes vbi satiãtur, relegaret: nisi in sacro conuentu, non ventris, sed sublimius aliquod tractari negotium existimaret.

Cyprian. de cœna domini. Hic panis mẽtis est, non ventris.

August. in Psal. 103. Idẽ in Ioan. tract. 26. Cap. 6. Quid paras dentem & ventrem?

Crede, & manducasti.

Aug in Psal. 103. Panis est cordis, intus esuri, intus siti.

Quæ quum ita sint, tot argumentis, tot testimoniorum euidentiis illustrata, quid contra nunc adferent Romanenses isti figuli, quod suæ prætexant vesaniæ, aut quo deliram transubstantiationis suæ hæresin tueantur? Nam si sacrosanctum corpus domini, quod cœlos nunc occupare certissimum est, ita in sacram synaxim restringant, vt panis, neque azimi, neque fermentati vllus locus, nec vlla materia relinquatur præter syphar solùm, & accidentium idola, quid igitur illud erit, quod doctores tanto consensu appellitant signum, sacramentum, mysterium, symbolum, typum, antitypon, imaginem, signaculum, exemplar, figuram dominici corporis & sanguinis? quid illud, quo corpora nostra (teste Iustino) aluntur & augentur? Num formis alimur & accidentium meris appendicibus?

Rabanus Maurus. lib. 1. Cap. 31. Sacramentum in alimẽtũ corporis redigitur, virtute sacramenti æternam vitam adipiscimur.

quid

Necephorus in histor. eccl. lib. 17. cap. 15. Mos temporibus Iustiniani in absumẽdis eucharistiæ reliquijs.

quid illud cuius fragmenta ad alios olim perferebant Diaconi: cuiusq; reliquię (si quæ in eucharistia superessent) pueris ad ludum euntibus, vt ieiuni esitarent à sacerdotibus donabantur, qui mos Iustiniani temporibus, teste Nicephoro, tũ in ecclesia percrebuit. Quòd si primis illis temporis prisci maiores corpus ipsum, prorsus sine pane, realiter à se mãducari existimassent, an tam parum honoris Christo Seruatori ascripturos fuisse quisquam putet, vt corpus Domini non sacerdotes solùm ipsi in frustra discerptum cõmessarent, sed pueris etiam ad scholam properãtibus, residuas fragmentorum particulas in ientacula permitterent?

Ex quo vides, Romane pontifex, nisi amissis oculis, nihil videas, quæ tum fuerat temporum illorum, de materia & fide huius sacramenti, apud veteres orthodoxos institutio: & quàm longè non tam ab ecclesiæ antiquitate, quàm à veritate scripturæ dissidet recens hoc transubstantiationis vestræ nugamentum. Id quod à vestris etiã nonnullis recentioris memoriæ consodalib' non minùs acutè perspectum, quàm liberè confessum nec ipse ignorare poteris. Neque enim ignotum tibi arbitror vel autorem ipsum, vel autoris verba, qui etsi ipse transubstantiationem nũquam negare sit ausus, non dubitauit tamen, ea de re sententiam liberè profiteri; In synaxi, inquit, transubstantiationem serò definiuit ecclesia: Diu satis erat credere, siue sub pane consecrato, siue quocumq; modo adesse verum corpus Christi:

Erasmus. in Annot. in 1. Cor. 7. In synaxi transubstantiationem serò definiuit ecclesia, &c.

vbi rem propius contẽplata est, vbi exactius expendit certius præscripsit, &c. Quin nec multũ ab eadem chorda dissonat Ioan. Fysſherus Episc. Roffensis: haud postremus pontificiæ ecclesiæ Apostolus: qui in libro defensionis suæ, pro rege Angliæ, de transubstantiatione & vsu sacramenti disserens, huc redit denique, vt eam autoritate & pondere ecclesiæ niti magis, quàm posse è diuinis literis & Euangelio satis probari, confirmet. Neque istud quidem malè. Quis enim ignorat primis illis ecclesiæ initijs, multisque post seculis, spirante adhuc Beda, Betramo & Rabano Mauro, vsque ad Hildebrandum, & Innocentium tertium, nec auditum transubstantiationis fuisse nomen, quoad tandem in Laterano Concilio publicè lex sancita de substantia panis è sacramento reijcienda, fuisset. Quòd si verò ante hoc concilium certum aliquid publicè ac constanter in ecclesia receptum fuisset, quid sibi tum volunt apud successores tot discrepantium sententiæ & opiniones, quorum alij dicunt, alij negant, quibusdam ita videtur, quod rursus non concedunt alij: alij putauerunt, quidam ita tradunt substantiam panis & vini remanere. Lombardus ipse conuersionem esse autumat. Qualis tamen sit conuersio, formalis, an substantialis, an alterius generis ipse definire non audet. Quin & in eodem luto defixis inhærens pedibus Gabriel Biel: Quomodo sit ibi corpus Christi, vtrum per conuersionem alicuius in ipsum, an sine conuersione incipiat

Roffensis in li. defensionis pro rege Angliæ ex citatione. Ioan. Lãgi in cõmẽtarijs Iustini Martyris.

Trãsubstãtiatio quo tempore ortum habuit.

Concilium Lateranum sub Innocẽtio 3. anno. 1216.

Roffensis de eucharistia

Lombardus. lib. 4. dist. 10.

Gabriel Biel.

esse corpus Christi cum pane, manentibus substãtia & accidentibus panis, expressum negat in Canone bibliæ. Quid quod teste ipso Innocentio tertio, fuisse ante eum constat; qui dicerent, quod sicut post consecrationem vera panis remanent accidentia, ita panis vera remaneret substantiam. Ex quo liquet ante initum hoc concilium, nihil de transubstantiatione fuisse certò constitutum. Accedit his Nicola' Cusan'. Quidam, inquit, veteres theologi intellexisse reperiuntur, panem nõ transubstantiari, sed superuestiri nobiliori substantia.

Nicolaus Cusanus. exercitationũ lib. 6.

O pulchrè videlicet stabilitam transubstantiationis causam, quæ non alio nixa fundamento se sustentat, quàm Romanæ solùm ecclesiæ tam recenti non minus, quàm futili decreto: quæ priscis olim maioribus nec audita vnquam, nec cognita, ortum non antè cœpit, quàm laxatus è tartaro Sathanas, post mille annorum vincula, in publicum grassari, & turbulenta seductione cuncta fœdare permitteretur. Hæc etenim soluti Dæmonis auspicia in ea ferè ipsa inciderunt tempora, quibus Hildebrandus, aut non multò post eum Innocentius tertius suam inierunt hierarchiam. O sanctum & catholicum transubstantiationis dogma, ab his videlicet autoribus, & temporibus proseminatum? O scitos fallendi artifices? A quibus tamen si quis exigat suæ doctrinæ originem, nõ dubitant iam ilicò adusq; Apostolica tempora, adeoq; ad Melchisedechi vetustatem transubstantiationis suæ

Satanas solutus, circa initia transubstantiationis.

pri-

primordia producere, non multum dissimili exemplo, atq; Gabaonitæ olim veteres suos ostentabant calceos. Præferunt deinde ecclesiæ suę autoritatem, quam tanquam Gorgoneum caput, in vulgi aures atq; oculos solēni supercilio ingeminant. In quo haud imperitè facerēt, nisi sacrę Dei literæ, hanc ipsam ecclesiā, quā pro catholica vēditāt, pro meretrice verè Babylonica nobis iam ante depingerent.

Iosua 9.

Quin neq; his desunt etiam verba Christi, quæ prætexant ad erroris sui defensionem, verū haud multò certè aliter, atq; Sathan olim verbis scripturæ sinistrè, atq; ad literam distortis, Christum ipsū impetebat: velutq; Iudęi hodie veteris testamēti scripturas propheticas pertractāt, de quibus cōmemorat Hieronym⁹. Qui literā sequēdo, ait, occiderunt filium Dei. Id quod neq; minùs ferè in istos quadrare videatur, qui in nouo testamento literam sequentes, sacramenta vertunt in Idola, spiritum extingunt scripturę, Christumq; in mēbris iterū cum Iudęis crucifigunt. Deinde quia haud firmū satis præsidium sibi positum in scripturis vident, ad summā velut acropolim diuinę omnipotentiæ confluunt. Quid, inquiūt, an nō affirmauit Christus, hoc esse corpus suum? an quod dixit, id eum potuisse dubitamus? Si voluit Christ⁹ discedens spōsę suę charissimę xenium sui post se relinquere, siq; potuit pro xenio sui seipsum totum relinquere apud coniugem, an verbo illius desūt pręstandi potentia? aut nos potentiæ ipsius fidem detrahemus? scio nihil non

Hieronymus li. 3. in Mat. cap 17.

Cum Seniores putētur in ecclesia, & principes Sacerdotum, simplicem sequendo literam, occidunt filium Dei.

Argumentum Papistarum ab omnipotentia Dei.

Roffensis contra Oecolampadium lib. 3. in proemio.

Respons. ad argumentum de omnipotentia diuini numinis.

posse omnipotentis Dei numen: sed omnipotentia hæc semper cum volũtate illius congreditur. Non igitur quid potuerit, sed quid voluerit, quæstio est. Neque de efficiendi facultate, sed quid effectum sit, inter partes agitatur. Audimus in Euangelio verbũ caro factum est. Vbi tamen verbum non ideò naturam suam exuit, quia carnem induit. Quid isti nunc doceant audiamus, Panis, inquiunt, fit caro Christi. Quo modo? ita vt relictis tantùm speciebus, natura panis nulla supersit reliqua. Age, & quo tandem id constabit argumento? Quia omnipotens est, inquiunt, qui dixit, potest igitur fieri, quia dixit. Quid audio? an quia potuit fieri, factum ideò definient. Solebat olim ad eundem modũ Praxeas hæreticus argutari: cui non incommodè respondens Tertullianus: Atquî isto modo quiduis, inquit, de Deo confingere licebit, quasi fecerit, quia facere potuerit. Quamobrem si proba vti velint isti dialectica, nõ ab eo, quod potuit deus, sed ab eo quod voluit, suam exhibeant probationẽ. Dei enim posse, velle est, & nõ posse, nolle. Quicquid autem voluit, id & potuit, & ostendit.

Tertullian. aduersus Praxeam: Si tam abruptè in præsumptionibus nostris hac sententia vtamur, quiduis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideo credendum est illum fecisse, sed an fecerit requirendum est.

Tertul. Ibidem.

Non igitur singularem & admirandã Christi potentiam, in ædendis miraculis, hic extenuamus.

mus, sed neq; rursus fingenda sunt miracula, vbi nulla existunt. Cum autem miracula propriè nō fidelibus comparantur, sed infidelibus, nec vnquam adhiberi soleant nisi grauissima aliqua causa, aut insigni necessitate, ad percellendas cōtemplantium mentes, quos velis ad fidem lucrifacere: scire ab istis peruelim, quæ causa aut vtilitas in eo designari posit, cur Dominus cum Apostolis sedens, opificio potentiæ suæ, panem in carnis suæ subsistentiam, ad commessandum transmutaret, præsertim quum nec Apostoli, fide iam ante imbuti, aliquo hîc egebant miraculo, & si eguissent, Dominus tamen carnem nihil illis profuturā disertè præmonuisset? præterea nec quisquam in hac cœna eorum admiratione, vel adoratione detinebatur. Quid quòd nec ipsi etiam Euangelistæ vllum hic miraculum æditum referunt, sed historiam rei gestę simpliciter, sine omni admiratione intuentium, commemorant. Et qua fide miraculum occultæ transubstātiationis nos animis complectimur, vbi nihil quod miremur, quisquam videt, nec vllum hîc miraculi vestigium vel sensibus appareat: vel rationi pateat? At dices, sensibus minimè hîc credendum esse. Sit ita. At neque rursus cuiuis imaginariæ capitis persuasioni habenda est fides. Sed verbo Dei regendæ cogitationes sunt. Atque in hoc ipso verbo Dei, si quid occurrat figuratè aut ambiguè dictum, vt semper tenenda est τῆς ὀρθοδοξίας analogia: ita verborum interpretatio ea declināda est quāmaximè, quæ reliquę scripturę

Miraculum nullum in cœna æditum.

ſynceritatem lædit, atque in manifeſtam præcipitat impietatem. Quid autem magis impium quàm humanitatem Chriſti veram ac genuinam deſtruere, ipſumq́ue in labem tranſgreſſionis inuitum pertrahere?

Duplex ex tranſubſtātiatione impietas.

Prima impietatis ratio, quæ naſcitur ex tranſubſtantiatione.

Quorum vtrumq́ue ex eo conſequi neceſſe ſit, quod iſti ſtruunt Metuſiaſtę. Nam ſi ſanctiſſimũ illud Chriſti corpus, quod nobiſcum illi commune eſt, ipſa humanitatis lege, vno tantum cœli ſpatio circumſcriptum contineatur, iſti pluribus ſimul in locis nulla certa defixum ſede diſtrahant: certè hanc naturam nunquam ille ex Maria virgine eduxit, quum in humanam naturam nullo modo id cadat, ſed ſolùm diuinitatis proprium ſit, infinita ſimul ſpatia occupare. Eademq́ue ratione mentietur ſcripturæ veritas, quæ in ijs, quæ ad * naturæ proprietatem attinet, excepto duntaxat peccato, nihil inter illius, noſtramq́ue humanitatem diſcriminauit. Neque interim quicquam hos iuuat futiliſsimum illud ſuæ concomitantiæ commentum? Nam vt verum donemus, vbicunq; adſit glorioſum Chriſti corpus, minimè abeſſe diuinitatem: nequaquam eo modo retrorſum ſequitur, cum præſente diuinitate illius ſemper adeſſe coniunctam corporis præſentiam perſonaliter.

Aug. Epi.57. ad Dardanũ Dominus corpori ſuo immortalitatem dedit: naturam non abſtulit. *Item contra Fauſt. Manichæum lib.29.cap.21.*

Concomitantia in præſentia ſacramentali locum non habet.

Auguſt. cõtra Fauſtum Manic. li.20.cap.11 Chriſtus ſecundum præſentiam corporalem ſimul & in ſole, & in luna, & in cruce eſſe non potuit. Chriſtus venturus eſt, quemadmodum & ire viſus eſt in cœlum, in eadem carnis forma & ſubſtantia, cui immortalitatem dedit, naturam non abſtulit.

Altera impietatis ratio in eo cernitur, quòd cogetur Christus hoc modo committere, quod sacræ tabulæ aduersatur manifestè. Nā si conuiuis suis in sacro epulo, nullam aliam substantiā ad vescendum & hauriendum propinauit cœlestis hic symposiarcha, quàm carnem, & sanguinem ipsius eundem, quem ex materna natura vitalem suscepit: idem quin noxam contraheret, reumque se paternæ violatæ legis astrinxerit, vitare nullo modo potuisset. Cum lex ipsa nec vno loco, nec obscurè præcipiat ijs verbis, Sanguinem cum carne minimè comedetis. Rursusq; alibi, homo quicunque comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eum de populo suo. Quin & caussam indicans, subiungit in hæc verba: Quia anima omnis carnis in sanguine est. Vnde dixi filijs Israel: sanguinem vniuersæ carnis non comedetis, quicunque comederit illum, interibit. Et deinceps in Deuteron., iterum atque iterum hoc ipsum repetens: hoc solum caue, inquit, ne sanguinem comedas: sanguis enim eorum pro anima est: idcirco non debes sanguinem comedere cum carnibus.

Secunda impietatis ratio quæ sequitur transubstantiationem.

Christus legis paternæ trāsgressor probatur fuisse, si sanguinem suum ad potandum dedisset.

Gen. 9.

Leuit. 17.

Deut. 12.

Et quæ iam ista diuinæ legis non obseruatio, sed euersio est? Quæ dissimilitudo testamenti veteris & noui? Quod damnat pater, mandat filius. Quod non natura solùm repellit, sed paterna etiam præscriptio latissima lege interdixit, id Christus Dei filius,

ridigissimus legis obseruator introduxit? Absit nefas, nunquam fecit, nec voluit vnquam, ac ne cogitauit quidem, nec potuit etiam sine legis & naturæ graui præiudicio, tam absurdum aliquid moliri, neque tu id vnquam putes, amice in Christo lector. Non ille introduxit, sed induxerunt Papistæ, dirum & Barbarum hominum genus, longè lateque præter illius mentem, præterque omnem non naturæ modò, sed scripturæ etiam cautionem. Verba, tanquam carnem literæ, mordicus arrodunt, quæ si recto sensu accipiantur, nihil diuinius: si carnaliter, nihil damnosius. Atquî si in verbis Christi tam esse volumus scrupulosi, quin eadem ratione diuinæ potentiæ Simonem in petrosam rupem: petram in Christum: Christique carnem in cibum vertimus. Neq; enim quum panem *nominauit corpus suum, quod pro nobis exponeret (vim videlicet passionis suæ in pane subindicans) verba hæc eò tendebant, vt occulto miraculo mutationem aliquam creaturarum institueret, vel vt corpore discedens, corp⁹ post se relinqueret (alioqui cur iuberet manducari, si seruari pignoris vice voluisset) verum aliud quidem ille, quod longè sublimioris esset mysterij, ijs verbis intelligebat. Sacramentum enim commēdauit, quod spiritualiter intellectum viuificat. Carnaliter intellectum, officit. Caro etenim (Christo ipso autore) haud prodest quicquam.

*Theo. dial. 1. ἄρτον ἐκεῖνον προσηγόρευσε σῶμα.

August. in Psal. 98 Non hoc corpus quod videtis comesturi estis, neque bibituri illum sanguinem, quē effusuri sunt, qui me crucifigent. Mysterium vobis commendaui, quod si spiritualiter intelligatur viuificabit vos.

Atquî

Atquî quo modo sanctissima illa caro prodesse nihil dicetur? Quid, an non nata, an non baptisata, an non mortua pro nobis caro Christi profuit? Certè verò plurimum. Cæterùm nos non de ipsa carnis substantia, eiusque pijs actionibus, sed de nostra solum carnis illius manducatione hîc agimus, quæ parum sit nobis profutura ad æternam salutem, etiamsi millies ore epularemur. Idq; Dominus ipse haud obscurè subinnuens Capernaitis, qui verba eadem ad carnalem manducandi sensum detorquebant, ita ait: Verba mea spiritus sunt & vita: Caro non conducit quicquam. *Iohan.6.*

Verba Christi, Caro non prodest quicquam, quo sensu accipienda

Quæ nimirum dicta in hunc sensum redeunt deniq;. Vos verba hæc, quæ de carne manducanda loquutus sum, nimis carnaliter, longeque aliorsum, atque ego volebam, arripitis. Neq; enim in hunc sensum à me proferebantur, vt ad mei esum vos vocarem, quid enim absurdius? Neq; ideò hanc carnem indui, vt gulam ventremque vestrum explerem: quantulum enim hinc vobis rediret emolumenti? sed vt morti eam vestra causa addicerem: Quæ mors carnis meæ fide à vobis spiritualiter apprehensa, atque in animos intus ingesta multo vos excellentius reficiet, quàm Moses suo Manna ventriculos saginauit, vita enim vos afficiet non fluxa & temporaria, sed æterna: famemque restinguet vestram, non quæ denuò reditura sit, sed quæ felicitate satiatos sempiterna ita vos recreabit, vt nullo post

tempore in perpetuum esuriatis. Vndè non immerito verba illius spiritus & vita sunt appellata, quibus panem ille non in carnem vertit, sed quibus efficaciam carnis suæ pro nobis impensę, & sanguinis effusi, sub panis & vini symbolis repræsentauit. Atque hac quidem ratione confert quàmmaximè caro Christi, qua non à nobis editur, sed quia in eum creditur.

Satis multa hac de re dixisse mihi videor, si vnum addidero: In quo quid mihi respondeant Lateranenses isti ἀρτοκρεατόυργοι lubens audiam, qui non sat habeant diuina verbi potentia, panem & vinum in sacramentum corporis & sanguinis cõficere, nisi sua quadam alcumistica substantias etiam rerum ex vna in alteram transfundant, atque ex panis uinique materia, diuersam quandam naturam humanæ carnis & sanguinis, seu quintam essentiam aliquam conflent atque producant. Atque age, vt hoc donemus eorum alcumisticæ, nihil iam in sacramento residere, præter solam corporis & sanguinis substantiam: iam huc venio non vt quæram, quo puncto temporis, quo momento prolationis hæc primum fieri incipiat transmutatio. Nondum enim satis de eo inter ipsos pontifices conuenit. Illud peto. Cum hoc ipsum corpus Domini susceptum à nobis, visceribus intus insideat, ac corpora possideat, an integrũ ibi permaneat sine omni digestione: an per naturalẽ concoctionem in substantiã carnis nostræ coalescat carnis illius substantia?

Papistarum Alcumistica.

Incommoda perabsurda & impossibilia quæ sequũtur ex doctrina transubstantiationis.

Quod si concedatur, fiet igitur hoc pacto, vt caro Christi illibata à nobis depasta, atque in substantiam naturę nostrę mortalis ac corruptæ concreta, vna eademque fiat caro cum carne nostra. Nam vt panis & vinũ (autore Damasceno) διὰ τῆς βρώσεως καὶ πόσεως in corpus & sanguinem comedentis & bibentis transmutatur: ita caro & sanguis Christi, si substantialiter, vt aiunt, corporibus nostris suscipiantur, in carnem certè nostrã & sanguinem μεταποιεῖσθαι, καὶ ἑνοῦσθαι necesse sit. Hincq; proinde necessariò efficietur, vt caro Christi iam nostra facta, sit peccans caro, quod dictu infandum sit. Adeoque non peccans solum: verum vt corrupta & computrescente carne nostra, eadẽ pariter corruptio in Christi carnem vnà nobiscum (siquidem iuxta Damascenum concorpores cum Christo sumus) coincidat necesse sit. Quod mystico Psalmi vaticinio aduersissimè repugnat, quo docemur sanctissimam illius carnem ea conditione imbutam esse, vt semper immunis ab omni corruptione permaneat. Vt ne interim illud exagitem, quod ne hi quidem ipsi infi-

Orig. cap. 15. in Mat. Panis sanctificatus iuxta id quod habet materiale in ventrem abit, & in secessum eijcitur.

Cyprian. de cœna. Nostra verò & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec vnit substãtias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates.

Damascen. de Orthodoxa fide lib. 4. cap. 14. ὥσπερ φυσικῶς διὰ τῆς βρώσεως ὁ ἄρτος, καὶ ὁ οἶνος καὶ τὸ ὕδωρ διὰ τῆς πόσεως εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ ἐσθίοντος μεταβάλλονται, καὶ γίνονται ἕτερον σῶμα παρὰ τὸ πρότερον αὐτοῦ σῶμα, &c.

August. de ciuit. lib. 22. cap. 12. In carnem quippe conuersa est eius, qui talibus vixit alimentis.

Damasce. ibid. ἓν σῶμα Χριστοῦ γινόμεθα καὶ ἓν αἷμα, σύσσωμοι Χριστοῦ χρηματίζοντες.

Psal. 15. Non dabis sanctũ tuum videre corruptionem &c.

ciari queant, qui sacras hostias quotidie pertractant: easdemq; post benedictionis gratiam aliquandiù asseruatas, situ contabescere, atque ipsorum etiam manibus aboleri solitas. Quæ iniuria aut in beatissimi Domini nostri corpus recidat aut futilem, nullamque esse transubstantiationis hanc chymerã necessariò fatendũ est.

HAbes modò, Romane Pontifex, de multis doctrinæ tuæ partibus: In quibus nihil ferè sanũ, nihil vndiq; non erroribus contaminatũ vides. Et tamen post hæc omnia tam dira, tam nefanda, patrem te principemq; ecclesiæ haberi postulas: cuius ne idoneum quidem te ciuem esse qui te nouit, quisquam agnoscat. Adeoque ad summã, supraq; summã ἀναιδείας tua processit impudentia, omnemq; porrò impudentiam superat insolentia, vt nihil te pudeat, plusquã Cęsoria audacia innoxias dominici regis ouiculas, vt quisq; est fide integerrima, in vastitatem pertrahere pro hęreticis traducere: cũq; his principes etiã ac reginas tanquam fautrices hæreticorum in eandem vocare infamiam: Cum ipse interim tot tantisq; opertus erroribus plusquam hęreticis, ita inter Hæreticorum ordines velut τιμαλφέστατος palmam omnibus pręripias, sicque solus præluceas hęreticis vniuersis, vt totus tuus hic Papismus (vno dicam verbo) vix aliud quàm aphanismus esse verissimę religionis videatur.

Papa hæreticus omnium hæreticorum. ἀρχιτάλφοσίας

Sed desino, finemque tecum contendendi facio, quanquã non hæc cõtentio, sed solũ defensio.

sio est; non leuitate aliqua suscepta, sed grauissima necessitate imposita. In qua, si innocentiæ causam incitatiore fortè impetu defendisse; aut asperius ipsi te, quàm velles, excepisse videamur: non nostra hæc, sed veritatis verba existimabis. Neque nos iam contra te vniuersæ ecclesiæ fideles, sed pro nobis scripturæ ipsæ decertant, tibiq; omni contentionis studio aduersantur. Ipsa Dei vox, *spiritus ipse oris Christi, cum vniuersa & ecclesiæ & cœli militia, cumque his omne simul sanctorũ ciues, non hanc modo contra te disceptationem, sed maiorem vim in caput tuum comparant. Quippe quæ scripturæ vox aut te monarchica hac sede tandem, quam iniustissimè vsurpas, funditus euertet: aut ipse scripturas, cumque his Christum ipsum & Apostolos, ex omni ecclesia excutias necesse sit; scio in ecclesiis multas sæpè incursare graues conflictationes & pugnas dissidiorum, multos item morbos & corruptelas existere, in quibus repurgandis atque excutiendis mansueta illa, quæ moderata decet ingenia, agendi ac conflictandi ratione vtendum censeo. Vsque adeò mens hæc nobis semper abhorruit ab acerba ista debacchandi inter eruditos virulentia.

Adhortatio

Paul. 2. Thess. 2. quem Christus ipse conficiet spiritu oris sui.

Si quis vult esse contentiosus, ecclesia Dei nõ habet consuetudinem hanc.

Verùm enimuero ista tua impietatis lues (Rõ. pontifex) cum tanto coniuncta phialarismo, quo synceritatem omnem Christianæ religionis non infecisti, sed penitus obruisti, eiusmodi est, vt nulla admittat mansuetæ moderationis pharmaca. In eum vsq; articulum res Christianorum

deduxisti vesana & horribili tua truculentia; vt non pro hæretico confutandus, sed pro Antichristo cruentissimo videlicet Christianorum populatore, cum summa omnium bonorum detestatione execrãdus videaris: ita vt Christi gloriæ nemo fauere verè possit, qui tibi ex animo aduersarium non profiteatur.

Adhortatio ad Papam.

Quæ cum ita habeant, multoq; deterius habeant res tuæ, quàm quisquam effari poterit, quid aut ipse agas consultius, aut ego consulam tibi prudentius, quàm maturè te reuoces, ac redeas? Quo redeam, inquies? Redi, Romane, in viam, vnde deflexeris. Redi ad humilitatem, ad quam vocatus es. Recipe te in ordinem, in quo positus es. Si vocauit te dominus in vineam suam, ad opus te vocauit, non ad opes: ad ministerium, non ad magisterium. Excole igitur vineam, ne depopuleris vineam domini. Neque enim vinea tua est: quæ si esset, nunquam tam hostili eam impetu infestares: sed domini est. Qui si te inter reliquos conduxit operarios, redi igitur ad operam, teq; in ordine tuo contine, nec pennas velis nido maiores distendere. Sisq; denariolo contentus tuo, siue prima, siue postrema hora accesseris: ex æquo vna omnibus debetur mercedis dignitas. Seruitiorum nulla prærogatiua. Eadem domini erga omnes benignitas. Teneat te igitur, si sapis, cathedra tua, qui Romanus sis, Romana: suaq; alios, vbi præsunt alijs. Atque vtinam Deus aliquãdo mentem hanc tibi immitteret, vt serio de istis cogitares, eoq; redires, vnde recideris. Erat olim

inclyta hæc vrbs, dignissimis Christi cultoribus referta, præstantibus ingenijs & moribus exculta, venerandis martyribus conspicua, pijs doctisq; Episcopis florentissima: quorum omnis cura & sollicitudo nō aliò destinabatur, quàm ad publicam ecclesiæ pacem, & tranquillitatem.

Romana ecclesia olim inter cæteras ecclesias omnium laudatissima ac celeberrima.

Hanc nobis pacem, pontifex, si possis, restitue, possis autem, si velis, facilè. Pone primatū hunc, quem adeò præter omnes leges diuinas, contra ius gentium, maiorumq; exempla obtines. Mitte inuictam contendendi pertinaciam, fastum reprime, & autoritatis molē reijce, quam humeris nō dico tuis, sed omni humana potentia grandiorem suscepisti. Cedant errores veritati: cedat humana, Christi gloriæ. Relinquat Romanus Romanas suas merces, quas nulla scriptura inuexerit, Missas, sacrificia, satisfactiones, peregrinationes, idololatrias, dogmata ἀδόκιμα, vota monastica, purgantia merita, religionum sectas, conscientiarum lancinas ἀδιαφόρους. Permittat regibus & Monarchis suis in regnis dominandi, & errores corrigendi potestatem. Concilijs publicis suam restituat libertatem, sine qua nulla cōstat veri inueniendi ratio.

Quid enim ad veritatem accommodatius, quàm in libera religione, liberas existere voces ecclesiæ, itaque agitari concilia, quæ legitima sint, non ἀνεξικὰ: vbi liberis suffragiis, non extortis sententijs, æquis doctorum iudiciis, non coniuratis factionibus, non partium studiis, nec humanis præiudicijs, sed diuina solum auto-

autoritate res geratur; sicque seruetur mos maiorum, vt quid quisq; sentiat, non quid vni adlubescat, liberum cuiq; sit, sine metu, sine periculo profiteri. Nunc verò vbi in vnius omnes iurare verba cogũtur, cunctaq; ad vnius libidinem temperantur suffragia, qui solus sic lora teneat, vt nemini adesse liceat, nisi qui cum illo sentiat, nec aliud sentire fas sit cuiquã, nisi quod cum illius conspiret voluntate, quid quæso ex his concilijs quisquam expectandũ putet, nisi quod ecclesiæ prorsus pessundet libertatem, quodque non gloriam Christi, sed solùm humanæ ambitionis tyrannidem cum sanctissimæ religionis excidio & vastitate, attollere videatur. Quo magis te niti decet, Romane præsul, vt posita hac dominandi contentione, procul abiecta hac profanæ ambitionis nouitate, ad pristinã antiquissimæ & verissimæ ecclesiæ humilitatem moderatiorem te reuoces. Exemplis plena sunt omnia, quæ saniora te doceant consilia. Siue Christi vitam, qua nihil mansuetius: siue apostolorum spectes vestigia, quid à tuis institutis alienius, quid dissimilius? Descendamus ad proximam Apostolicis temporibus antiquitatem, quid in primis illis maioribus comperies, quod non à factis istis moribusq; tuis refugiat quàm longissimè? Sed ne longum fiat, vel vnum exempli vice sumemus, diuinum plane virum, eximium videlicet ecclesiæ lumen Cyprianum, quem nominatim hîc citare libuit, non tam vt verba legas ipsius, quàm vt vetustæ institutionis formulam ex eo

Cyprianus ad Iubaianũ de hæreticorum Baptismo scribens.

sum-

similitudineque temporum illorũ moderationem addiscas. Sic enim ille ad Iubaianũ scribẽs, refert in hunc modum: Nos, inquit, quantum in nobis est, cum collegis, & coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus diuinã concordiã, & dominicam pacem tenemus: maximè quum & Apostolus dicat: si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem nõ habemus, nec ecclesia Dei. Seruatur à nobis patienter & leniter charitas animi, collegij honor, vinculum fidei, & concordia sacerdotij, &c.

Quin & idem rursus in præfatione, quã concilio præfigit Carthaginensi: Superest vt de hac ipsa re singuli, quid sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Neque enim quisquam nostrum episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrãnico terrore ad obsequendi necessitatẽ collegas suos adigit. Quãdo habeat omnis episcopus, pro licentia libertatis & potestatis suę arbitrium proprium, tanquã iudicari ab alio non possit, quomodo nec ipse potest alterũ iudicare? Sed expectemus vniuersi iudiciũ domini nostri Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem & prępomendi nos in ecclesiæ suę gubernatione, & de actu nostro iudicandi &c.

Ex verbis Cypriani in Concilio Carthaginensi. Vide Aug. de Baptis. contra Donatistas. lib. 3. cap. 3.

Habes modò defixum ante oculos non inappositum, ni fallor, specimẽ atq; imaginem antiquæ ac Apostolicæ modestiæ, quæ iam olim apud primarios religionis nostræ duces & antesignanos in Christi ecclesia viguit. Ad quam nor-

mam si te tuosq; spiritus istos plus satis sublimes attemperare posses: posses autem, si velles, teq; be in ordinem componeres tuorum & sodalium, facilè consilerent, aut magna certè ex parte mitescerent inconditi isti motus sæuissimarum perturbationum, quibus tam miserè hodie concutitur pax & concordia Christianorū: quin nec desinit adhuc tempestas hæc quotidie incrudescere, Quæ nescio vnde nobis exoriatur, nisi ex vaporibus solùm istis à Romana sede exhalantibus, & corruptissimis eius doctrinæ fecibus. Quæ si repurgari se ad normā euāgelicæ simplicitatis aliquādo pateretur, iā nullus esset in orbe tumultus, nullus armorū neq; incēdiorū æstus miseras vexabit resp. Quæ omnia facili momento conquiescerēt mala, si tu solus conquiesceres. Quanquam quid ista ego apud te, quæ nihil scio profutura? Te enim quisquam, vt arbitretur alium esse futurū, quàm iam diu fueris, quem aut timor Dei frangere, aut charitas reflectere, aut ratio monitaq; vlla vnquā corrigere queant? Atque vtinam quidem vel votis nostris, vel consilijs, siue quacunque re alia consequi ista apud te possemus. Verùm, quoniam ita animum tuum contra omnium voces obfirmatum video, desino tecum pluribus agere, Rō. pontifex, vertoq; reliquam orationis partē, te relicto, ad alios, quoscūq; Christi habet ecclesia verè pietatis ingenuè studiosos.

Supplex deprecatio ad principes & proceres populi Christiani.

Tum verò maximè vos appello, Christiani orbis principes, & proceres inclyti, in quos vicariam suam pietatem, in administrandis rebus, diuina delegauit dispensatio: vestrum enim esse

arbi-

arbitror, ne quid detrimenti respublicas capiat Christianorum, prouidere: ne quid per vim & fraudem fiat, quod Christi obscuret gloriã, quod populi obruat tranquillitatem, aut saluti officiat. Pro hac itaque autoritate, quam à domino summam in his terris obtinetis, etiam atque etiam cauete, ne plus hostium doli, quàm virtus vestra possit. Quas hactenus turbas consciuerit aper hic Calydonius, quantam lanienam in caulas domini annis his multis, quam vastitatem inflixerit, quantam non modò in subditos vestros calamitatem, sed vobis etiam ipsis iniuriam intulerit, nullo potestis modo obliuisci. Quis enim in illustrissimo hoc ordine vestro princeps tam potens iam diu extitit, cuius in regno non plus potuit pontificis potentia, quàm vestra autoritas? in quo non plures ille occidit ciues, quàm vestrûm quisquam seruare sit ausus? Vbi non plures ille amicos, magisque sibi, quàm vobis ipsis subditos habuerit. Quanquã quid ego subditos dico vestros? quum nullos ei subditos magis, quàm vos ipsos esse videam. Etenim quum plectitis, quos ille plecti iubet, quum inceditis pro nutu & voluntate eius, quos ipse ad inflammationes condemnat, quum inquisitorias ipsius leges acriori cura, quàm proprias exequamini, quum arma contra subditos vestros nulla causa vestra, nec subditorum culpa aliqua, sed pontificis solùm incitatione suscipitis, in eo quid aliud, quàm serui illius, cuius dominos vos esse conueniebat, videmini, hostis vestri causa contra amicos depugnantes?

Pontificis imperium in principes iniustissimum.

Quæ res etsi per se fœda, atque indignissima splendore vestro videri posit, tamen non tam ignauiæ id vestræ, quàm formidini, nec tam formidini etiam, quàm temporũ potius communi inscitię tribuerim. Scio enim quibus fucis ac prestigijs irrepserunt isti primum in animos principum, sub blanda ecclesiæ specie, falsaq; religionis opinione, obtortis huc etiam diuinæ scripturæ testimonijs, quibus terriculamentis, ceu ostẽso Gorgonis capite, sic expugnârunt potentissimos orbis satrapas, vt facilè persuaderent sibi, piè recteque omnia geri, quæcumque pontificum, qui errare non possent, auspicijs susciperentur. Atque hinc ille huius tragediæ exijt primum ornatus prologi. Cæterùm nunc alia dies alios mores postulat. Néc vsquam tempore alio veriùs dictum dicas, quòd dici solet temporis veritas filia. Quæ enim tanta cuiusquam posit mentem obsidere caligo, qui in tanta hac lucis Euangelicæ claritudine, non facilè animo concipiat, ecclesiasticam hanc Christo ministrantium monarchiam nunquam à Christo autore profectã, nec permissam ab eo vnquam, repressam verò sępius, vbique reprehensam grauissimè. Quin nec difficile factu foret, quo primũ tempore & autore fastus hic regni pontificij grandescere cœperit, ex ipsorum commonstrare annalibus. Pręsertim quum ex Platina domestico ipsorum teste, ita audiamus: Bonifacius tertius, inquit, patria Romanus à Phoca Imperatore obtinuit, (magna tamen contentione) vt sedes Petri

Platina in vita Bonifacij.

Apostoli (quæ caput est omnium ecclesiarum) "
ita & diceretur, & haberetur ab omnibus; quem "
quidem locum ecclesia Constantinopolitana si- "
bi vendicare conabatur, fauentibus interim mul- "
tis principibus, affirmantibusque, eò loci primã "
sedem esse debere, vbi Imperij caput esset. "

Ex quo haud magno labore vobis, quid faciendum sit, constare poterit. Nam si nullo diuino iure, vt ostensum est, sed humana solùm approbatione, sedis huius nitantur fundamenta: quid obstat obsecro, quo minus quod ex consensu vestro initium traxit, idem ex vestro rursus consensu finem habeat? Quòd si delusi olim primatum contulistis, contra voluntatem Christi: quid iam rectius agatis, quàm quod præter ius à vobis vel per scelus extortum, vel per fraudem conquisitum sit, id vestro iure, Christique maximè voluntate, vt auiculæ quondam suas plumas, denuò repetatis? Cur enim quod olim sine causa indulsistis non rectè, sacra nunc cognitione rectius imbuti sustulisse potestis, quanquã quid posse vos dico, quum necesse sit etiam vt debeatis? nisi cultum obsequiumque Pseudopontifici præstare, quàm Christo malueritis.

Ciuilis Iuris regula. Non amittit libertatem ingenuus, imò ne libertatis quidem causam lædit, qui se seruum scribit.

Quare agite, illustrissimi principes, ac Heroes serenissimi, euigilet tandem aliquando prudentia vestra. Obsistite furori & audaciæ. Si parum vos afficiat honoris vestri, suaque cuiusq; libertatis ratio, id Christo saltem, cui omnia debetis, tribuite, vt ecclesiæ vos ipsius misereat, vt immanitatem à corporibus, impietatem à conscien-

tijs ciuium vestrorum arceatis, ne lupi catulos alere in Reipublicæ perniciem velitis. Orat vos patria vestra, orat omnium bonorum cœtus, flensque obsecrat, vt veritati, vt innocentiæ, vt sanæ doctrinæ iam diu afflictæ, post diuturna bonorum incendia & funera, tandem aliquando pietatis vestræ beneficio à metu animos erigere ac respirare liceat. In vobis situm est, vt inconditi hi motus consilescant. Non vt armata vi in hostem irruatis, non vt stragem nostrorum vindicetis, id postulamus. Satis iam satis bellorum est. Satis superque effusum est Christiani sanguinis. Quod autem à pietate vestra, vota efflagitant nostra, illud est, quod nihilominus honori vestro gloriosum, quàm communi omnium saluti consultum fuerit: vt pro autoritate vestra, & veteri maiorum exemplo, coactis doctorum hominum comitijs, concilium, si fieri possit, eiusmodi instituatur, quod non tam generale sit, quàm liberum. In quo cogatur Pontifex Romanus causam suæ autoritatis & doctrinæ disceptare. Qui si vincat iustis scripturæ firmamentis, palmam ferat: sin minus, quod mereatur. Quid in hac rerum calamitate proponi vel vtilius, aut studio vestro dignius possit? Sin nulla superest concilij huiusce spes, tamen vt vnusquisque vestrum id domi procuret, quod in concilio præstandum fuit: vt errores corrigantur, vt rectæ doctrinæ fontes, procul eiectis Romanæ corruptelæ paleis & quisquilijs, natiuæ restituantur puritati, vt subditis vestris liceat ad sacra euangelij instituta, non ad pontificis decreta,

Prouocatio ad concilium publicum, in quo de toto statu & causa pontificis liberis doctorum suffragiis decernatur.

mores

mores & conſcientias ſuas componere: vtque iiſdem ſat ſit, ſuis ſolùm obſequi principibus. Nam quid Romana tyrannis in veſtris agat prouincijs, niſi ad ciendas turbas, nihil video. Quod ſi verò ea nũc eſſet quę olim fuit, rerũ Chriſtianarũ conditio, quũ recens adhuc eccleſia ſub principũ Ethnicorum imperijs continebatur, rectè tum poſſet in procurandis eccleſiæ rebus, epiſcoporum implorari autoritas. Iam verò ſimul atque diuina pietas principes, quos vocauit in eccleſia ſua, eoſdem & Chriſtianos eſſe voluit, quippe qui Chriſto nihilominus inſeruiant quã pontifices ipſi: nihil obſtare video, quo minùs qui in politijs præſunt Chriſtiani principes, iidem in eccleſijs etiam pręſint Chriſtianorum. Vt iam nihil cauſæ videatur, cur pontificia hæc monarchia in iſtorum imperijs, poteſtatem ſibi vllam vſurpet eiuſmodi, quæ non legitimis in ſua cuiuſque prouincia Magiſtratibus ſubijciatur.

Atque hæc hactenus ſunt, quæ apud illuſtriſſimas celſitudines veſtras paucis pertractare volui. Quod ſupereſt porrò, ad reliquam nunc populi Chriſtiani multitudinem me flecto, quotquot in Chriſto mihi fratres & conciues ſunt, eiuſdem baptiſmi conſortio coniuncti; quos ſingulos & vniuerſos ſimiliter compellatos rogatoſque velim, etiam atque etiam videant, ne inſidioſis præſtigijs, ne magnificis hominum titulis quamlibet blandientibus tranſuerſos ſe à veritate abduci patiantur. Vt nihil eſt ſyncera religione ſalutarius, quæ veræ ſalutis viam aperit, ita nec res vlla fallit facilius læditque grauius,

Adhortatio ad plebem populumq; Chriſtianum.

grauius, quàm falsa religionis simulatione se commendans hypocrisis, huicque affinis superstitio: sicut nec vnquam fallit nocentius mendax ille tenebrarum princeps, quàm quum Angelum mentitur lucis. Quo enixius cauendum, ne præcipiti opinione magis, quàm iudicio ducti, falsa pro veris, pro Christo Antichristũ, occidentem literæ carnem pro spiritu & veritate amplectamur. Probate, inquit ille, spiritus, an ex Deo sint: nec quouis doctrinæ vento dimouea- mini. Vnde res quidem ipsa imprimis postulat, vt cum simplicitate Euangelica, serpentinam simul adiungamus prudentiam, quæ spiritus discernat, quæ probet omnia, quæ quod bonum est teneat, quæ scitè nouit lucem à tenebris, à synceris fucata distinguere: Denique quæ ita simplex sit, vt fraudem intentet nemini, eademque rursus sic cauta sit, vt versutiam caueat astutorũ. Id autem haud magno fiet negotio, si postposita addictione partiumque studijs, toti ex ore cœlestis magistri, non ex hominũ decretis, non multitudinis consensu, non temporum aut vulgi cõsuetudine pendeamus: sicque ad scripturas mentem reuocemus, vt, quod monet Hilarius, intelligentiam ex verbis domini expectare velimus, non quod antè lectionem ipsi præripuimus, id scriptum esse intelligamus: neque tantum tribuamus idolis cogitationum nostrarum, vt quæ semel arripuimus, ea mordicus tueamur, sed quæ rectè tuenda sunt, ea priùs diligenti indagatione peruestigemus. Scrutari proinde scripturas iubemur,

1. Ioan. 4.
Ephes. 4.
Mat. 10.
1. Thes. 5.

bemur, ad quas hominum quidem placita accõmodare par est, non ad horum scita illas distorquere conuenit. Multos reperias tam crasse stupidos, pinguique iuditio, quibus nihil probetur, nisi quod à maioribus acceperunt, quodq; consuetudine sit inueteratum: quasi errari nunquam maiores potuerint: aut quasi veritas tẽporis mater, non filia esse soleat. Quæ si nobis tenenda lex sit, vt nihil firmum esse in rebus religionis statuamus, nisi quod superiorum temporum conualuit consuetudine, ad hanc sanè regulam neq; Paulus neque Petrus, nec quisquam omninò Apostolorum fuisset, aliquando Christianus, nec Turcæ vnquam deinceps in nostram coalescent fidem, tot annis suis assueti erroribus.

Temporis cõsuetudo maiorumq; imitatio, neque omnium, neque omninò, neque in omnibus probanda est.

Age, & qui ista disputant tam pertinaciter de maiorum imitatione, scire ab istis cupiam, quid de Antichristo mihi respondeant: venturum ne eum aliquando, aut quum aduenerit vbi tandem regnaturum esse affirment? Si in ecclesia putent, qualia tum ecclesiæ illius tempora regnante Antichristo, mihi descripturi sunt, veritatis nè ea an erroris futura? At quî fieri possit, vt inualescente Antichristo, hominumque animis insidente, nõ ad tempus succumbat veritas, errorque maiorẽ ecclesiæ partem possideat? Et vbi tum isti ecclesiam Christi mihi constituent, in monténe sitam, quæ conspicua in oculis omnium efflorescãt? an in latebris potius delitescentem: quum grassante persequutione, mulier amicta sole cogatur in so-

litudinẽ: quũ vincantur sancti: quum triumphet meretrix sanguine sanctorũ temulẽta: vbi iã publica hęc, inquam, & perpetua veritatis victoria, quam sibi in ecclesia pollicentur nonnulli? Vbi ecclesia illa quæ errare non possit, quum in ecclesia occidentur sancti? quum omnia occupabit pseudopropheta? omnia bonorum sanguine cruentabit? quum ipsi etiam in periculum electi venient, vt seducantur? quum denique tanta incrudescet in pios persequutionis vis, vt ipsa periculi magnitudo malorum finem præfinito tempore breuiorem sit allatura? quando & templum ipsum domini vsurpabit perditus ille filius? quæ omnia si adimpleta cernimus, negarique non possit, quin in templo Dei iam diu versatus retectusq; sit Antichristus: qui iam illi sunt, qui ad morem maiorum & consuetudinem temporum eorum, quæ Antichristo succubuerunt, nos prouocant? quique successionem pontificiam ab ipsis Apostolis integram ac illibatam, dominante tam diu in ecclesia Dei Antichristo, iactitant? Sin negabunt adhuc apparuisse hunc Christi aduersarium, ô duram nimisque deplorandam Christianorum conditionem? Nam si paucis his annis, ex quo tempore cruces in Christianorum vestibus apparuerunt sub Imperatore Maximiliano, tanta sit cædes facta Christianorum Martyrum, autore pontifice Romano, quanta vix cuiquam sit credibilis, certè si tot

Mat. 24.

Vide Staurostichon Ioan. Francisci Pici Mirandul. de mysteriis crucis dominica delapsis nuper per Germaniam tempore Maximiliani Regis Roman. Anno, 1501.

tan-

tantisq; tormentis exhausta iam antè fuerint tot Christianorum millia, Christi causa & Euangelij, tranquillis adhuc istis & Christianis temporibus, quid posthâc in Antichristianis sit expectandum?

Quæ quum ita sint luce, vt videtis, clariora, Agite proinde, viri fratres & in Christo commilitones, pro prudentia vestra, non quod consuetudo inconsulta, sed quod veritas ipsa vobis suadeat, id capessite: non quò maiorum exempla, sed quò meliora vos tempora vocant, respicite: vt ne cum illis potius errare, quàm cum his rectiora sapere velle videamini. Agitur siquidem res non exigui (mihi fidite) periculi: tantoque maioris, quanto maiora nunc vobis ad cognoscendam veritatem suppetunt adiumenta. Neq; enim si errârunt vestri quondam maiores, eadem quæ illos, vos similiter tueri poterit excusatio. Illi si quando pontificijs abducti offutijs ad fabulas illius adiecerunt animum, pro temporum illorum infelicitate, vel quia saniora non docebantur, vel quia non ea tum prodierant ex officinis librorum & literarum instrumenta, vel quia nondum patefactus est perditionis ille filius, minùs id in maioribus vestris mirum esse, veniæque illis tribui vtcunque potest. Nunc verò in tanta rerum omnium luce, tot ad manum paratis dicendi audiendique adminiculis, quum ita vobis spiritus oris Christi retexit aperuit

suisque velut coloribus depinxit hunc Antichristum, ita vt omnium nunc effulgeat aspectui, nec quisquam sit, nisi qui oculos vltrò sibi occludat, qui non Christi perduellionem hunc apertè persentiat, amplecti certe nemo possit, nisi qui palàm impius esse velit, eiusdemq; cum eo perditionis particeps. Eaque causa tam graui comminatione nos auocat Angelus ille Apocalypticus, poculum his denuncians diuinæ iræ, æternique exitij, quotquot characterem bestiæ manu aut fronte suscipiant.

Apoc. 19.

Quo maiore nobis nunc studio incumbendũ est, primum, vt quæ qualisque sit hæc bestia acri animaduersione perquiramus. Deinde vt omnẽ eius consuetudinem toto corpore & animo euitemus. Ex quo nemini dubium aut obscurum esse potest, quanto in periculo versentur ij, qui maiorum ita affixi vestigijs inhæreant, vt non quid per se verum sit, sed quid more & consuetudine hominum receptum sit, id solum comprobent. Quos ego homines, si qui sint, vehementer rogatos velim, vt si nos scriptaque nostra auribus aut oculis minùs dignentur, Cyprianum saltem audiant: qui cum veritas abest, consuetudinem nihil putat aliud quàm erroris esse vetustatem. Audiant vel Augustinum, qui veritatem consuetudini anteponens, Manifestata, inquit, veritate, cedat consuetudo. Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

August. de vnico baptis. li. 3. ca. 8. dist. 8. Veritate.

Christum

Christum denique ipsum, qui solus est audiendus, audiant, qui dicat, ego sum via, veritas & vita: nunquam autem dicat, ego sum consuetudo. *August. lib. eod. cap. 6.*

Non igitur quid fieri consueuit, sed quid fieri oportuit, non quid factum olim, sed quid rectè factum sit, spectandum est. Nec temporum spatijs metienda est religionis veritas, non ex annorum numero, sed argumentorum momento, non ex chronologia, sed theologia, non Arithmetico calculo, sed rationum pondere, rerumque fundamentis ponderanda. Rectè proinde Augustinus, ad constituendam fidei & dogmatum autoritatem, iu ecclesia valere negat oportere, quid dicant homines, sed solùm quid dicat dominus. Cui nec minus concinens Ambrosius, *noua appellat omnia, quæcunque non doceat Christus, eademque iure damnanda affirmat, quia Christus, inquit, fidelibus via est. Vnde non absurdè monet Cyprianus, ne attendamus quid patrum aliquis ante nos faciendum putârit, sed quid, qui ante omnes est Christus, prior fecerit.

* *Ambros. lib. 2. de Viduis.* Nos noua omnia quæ Christus non docuit, iure dãnamus, quia fidelib9 Christus via est. Si igitur Christ9 non docuit, quod docem9, id detestabile iudicam9, &c. *Cypri. dist. 8. Si solus.*

Verùm quoniam hic incidit de antiquitate differendi locus, de qua tantopere Romana exultat religio, quin proferant igitur boni isti viri suas tabulas, vt quod verbis tam magnificè iactitant, id re ipsa aliquando comprobent. Audio enim quid magno hiatu voci-

ferantur, non esse conuellendos limites antiquitus à maioribus positos, suam verò ecclesiam eam esse, quæ longo iam tempore antiqua maiorum vsurpatione, diuturnæ consuetudinis & consensus antiquissimorum patrum inde adeò à primis nascentis ecclesiæ primordijs stabilita autoritate, inconcussam hactenus possessionem obtinuerit. Age, & qui tandem sint patres isti, quorum non mouendos terminos clamitant? Certè si patrum nomine primos illos intelligant prophetas, Christum ipsum, & Apostolos: eosdem cum ipsis terminos immotos obseruamus. Si proximos his doctorum ordines Origenem, Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, eiusque classis consimiles censeant: ne id quidem negari potest, eorum plæraque, quæ à nobis traduntur, ipsorum calculis comprobari. Quoniam autem ijdem in multis humanum aliquid passi sunt, eorum ipsorum iussu ad sacros scripturæ fontes conuertimur, quibus sine omni exceptione fidendum est.

Pōtificia monarchia nullam gerit tēporum aut patrum antiquitatem.

Quòd si verò sub patrum appellatione designant nobis Papas, & armenta monachorum: de his minimè sumus soliciti. Non est enim obscurum, quo impulsore plærique illorum loquuti sint. Quo in numero si qui inter eos paulò saniores fuerunt: vel temporum iniuria, vel crudelitate aliorum ad veritatem minus penetrare potuerunt. Sin verò intelligant patres, re-

centiorum temporum auos, aut abauos nostros: Respondeo nunquam defuisse vllo sæculo, ex quo primum vires cœpit colligere Romanus antichristus, qui lupis illis contradixerint, sed vel vi oppressos, vel publico seductos errore, non potuisse sese ex illis tenebris expedire.

HAbetis viri optimi, ecclesiæ ciues fidelissimi, orbis christiani incolæ, quæ de Romano pontifice, eiusque imperio dicenda mihi hoc tempore, atque necessariò admonenda constitui. Neque iam dubito vobis perspicuum esse, quemadmodum nullo diuino iure, nec iusta ratione aliqua, sed contra expressas Christi voces, contra natiuam Euangelij indolem, contra Canones antiquissimos, & publicam ecclesiæ libertatem, sedis huiusce principatus vniuersalis vires & originem traxerit. Intelligitis, si annos ipsos supputare velitis, quo primum tempore, quo autore constituta singularis hæc monarchia, quibus paulatim technis & imposturis, quo fallendi & simulandi artificio, quàm varijs practicis, in hác emersit magnitudinem, auctaque deinde & confirmata, in quantam potentiæ molem excreuerit. Videtis episcopum Romanum, sibique addictos Cardinales, regnum, quod iniustè occupant, non quàm iniquè solùm comparârint, sed quo fine, quo animo susceptum nunc gerunt, non vt regnet veritas, sed vt vera dissipetur religio.

gio. Videtis, ſtante vniuerſali hoc dominatu, nullam nec religioni ſanitatem, nec libertatē conſcientijs, nec libero concilio in eccleſiis locum eſſe reliquum.

Videtis ex quo primum tempore erupit in eccleſia fatalis hæc præſidendi ambitio, quot quantiſque acciſa cladibus in quas nunc cogatur anguſtias res Christiana, quot quantiſque victorijs, continuo ferè ſucceſſu, in nos ſuperbiat immanitas Turcica. Videtis vbi pontifex hic recipitur, à cædibus, & incendijs Chriſtianorum nihil eſſe tutum, nec finem vſquam malorum video, nî intra fines ſuos pontifices ſeſe retineant, cędantque monarchis & regibus regalia ſua, omnemque regnandi autoritatem: ipſi ſolùm docendi, quod ſuum eſt, ſumant ſibi: docentes non quæ humana ſunt, ſed quæ diuina: quærentes nō quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti. Quod ſi ab ipſis ſua ſponte impetrari poſſet, nihil præclarius. Verùm quum ne ſperandum id quidem eſt, ad vos res redit, maximè qui principes eſtis, vt pro ſua quiſque autoritate & pietate domi ſuæ res religionis perturbatas tranquillet, labantes reſtituat, corruptas reformet. Deinde qui præſules & paſtores eſtis, vt gregem quiſque ſuum piè ac ſedulò inſtituat ad regnum Dei. Poſtremò qui ſubditi eſtis, ſuperiores ſuas quiſque poteſtates agnoſcat in domino.

Admonitos

Admonitos vos videtis, qui tamen monitis nostris, pro summa vestra prudentia, nihil indigetis. Facio hîc itaque & dicendi & admonendi finem, si tamen hoc addidero. Si quis ex euangelica autoritate verbum vnum proferre queat, vbi dominus præsidentiam in suis discipulis vllam statuerit, nihil recuso quin Romanæ potestati subijciant sese, qui velint. Sin autem nihil sit, quod vel studiosius Dominus ipse admoneat, vel vetet impensius, quàm vt quæsito vllo prorsus primatu, discipulorum quisquam se cęteris anteponat ab omni celsitudine suos quàmmaximè ad suæ humilitatis deiectionem instituens: vos iam vtrum cum agno ipso duce vestro, συστρατεύεσθαι, ad æternæ felicitatis brabeium: an suscepto bestiæ charactere, cum superbissimo pontifice, vosmet in periculum præcipitare malitis, vestris nunc cum animis maturè deliberate. Dominus Iesus magnus ille cœli & terræ pacificator spiritu gratiæ suæ consilijs vestris inspiret, quæ pacis sunt, ad gloriam nominis sui & ecclesiæ incolumitatem: idemq; honorandas dignitates vestras amplificet, atq; in omni veritatis via custodiat. Amen.

FINIS.